LVC

SO

DE A

LI

IN Q

marun

QVID

intelliga

nulli

(vt fal

ua con

sariò, v

per se i

tera ill

statun

le Iud

R. P.

LVCÆ PINELLI

SOCIETATIS IESV
THEOLOGI,

DE SACRAMENTO

POENITENTIAE
Libri quinque.

*IN QVIBVS BREVITER AC DI-
lucide omnia, quæcunque Pœnitenti ad be-
nè confitendum sunt necessaria,
continentur.*

Itemq́ue,

DE PRÆPARATIONE AD SA-
cram Confessionem, ac modo eam
vtiliter ac cum fructu
instituendi.

COLONIÆ
Apud Ioannem Crithium
Anno M. D. C. XIII.

AVCTORIS AD LEctorem præfatio.

QVANTVM cùm omni, tum nostra maximè periculosissima hac tempestate emolumenti frequẽs, Deo aspirante, apportarit Confessio, tam clarum est, quàm cælum, cùm sudum est solet. Immortales proinde immortali Deo vsq; adeò diuini muneris Auctori gratias agendum. Verùm enimuerò, vt medicina corporis, quò melior & efficacior, eò, si non ea, qua debet, sumatur ratione, obest magis: ita vt in cõfesso est, CONFESSIO quæ à cælesti illo Medico salutaris animæ nostræ relicta & data medicina est, non vsurpata, vt fas est, plus dãni, quã vtilitatis adfert. Quocirca, omnimodis ann tẽdũ, vt rectè eadẽ instituatur, nõ solũ cõpendij, illa quam animæ largitur, sed & dispendij, quod secum aduehit, si haud ritè fiat, gratia.

Hæc mihi huius Libelluli causa, in quo totus sum, Christianum vt Lectorem ad bene & frequenter peccatorum

Exomologesin faciendam, pro virili instruam ac impellam. Et quia nihil hîc mihi quæsitum, nisi animarum salus & gloria Dei, Quæstiones Scholasticas in Scholis Theologicis, hoc super Sacramento ventilari ac discuti solitas, bono consilio insuper habui; ac ea duntaxat, quæ vulgarem in praxin incidere consueuerunt, quæque ad Pœnitentis conscientiam à peccatorum maculis purgandam, nec non conseruandam in primis vtilia visa sunt, disserui.

Quinque porrò in partes siue Libros partimur hoc opusculum. Primus agit de Contritione & Attritione: Secundus de Confessione: Tertius de Satisfactione: Quartus de præparatione ad Confessionem. Atque in hoc quatuor damus Directoria aut Examina, ad eandem rectè peragendam conducentia. Primum est eorum, quorum sedet animo annuam, aut generalem totius vitæ expurgationem, peccatorum adhibere. Secundum ad eos pertinet, quibus, quod bonum factum est, singulis mensibus, Confessionem iterare placet. Tertiũ ijs inseruit, quibus optimæ cõsuetudini est,

semel aut sæpius, quauis in Septimana Sacerdoti adgeniculari. Quartum eorū in gratiā conseruimus, qui nullius sibi peccati, cuius sese in Confessione accusare debeant, conscij sunt. Quintus verò Liber, dilucidè ante oculos proponit Particularia cuiusuis status ac conditionis peccata, ita vt quisq; tanquam in speculo, qua in re officio suo defuerit, conspicere valeat.

Hoc age ergo, Amice Lector, vt noster tibi hic labor inanis & infructiferus nō sit. Ego, vt potui, veriori ac securiori, ac quod cōsequens est, communiori doctrina, hoc meo in fœtu, animæ tuæ ad salutem quæ omnibus alijs rebus longè antistat, te instruere conatus sum: tibi curæ sit, ne in vanum ac vacuum laborarim: sed vt vtilitatem quàm maximè salutarem, hinc haurias Hanc te consecuturum, si pio affectu & desiderio teipsum adiutandi ad legendum accesseris, nullus ambige. Sin, quod absit, bono absque motu atque affectione sumere in manus Librum præsumpseris, fructum nullum aut exiguum facies Vt enim non prodest corpori cibus, quem auer-

ſatur ac horret, ita nec animo. Et quid dicam, fidem adhibe mihi, ô Chriſtiane LECTOR, efficacius ad Deo placendum & ſalutem conſequendam nullum omnino extat remedium, quàm ſancta & frequens Confeſſio. Quid, quod nulla alia re certius, validius ac potentius à peccato ac eius mala conſuetudine retrahi humana poſſunt pectora quàm hoc à Deo mortalium generi indito fræno.

Da, ó Deus, vt hæc cognoſcere, ac, poſtquàm norint, vſurpare fideles non deſinant. Vale.

AVTHO-

AVTHORIS PRO-
testatio

EGO LVCAS PINELLVS Societatis IESV, *hunc Libellum meum, & quæcunque in eo continentur, iudicio S. Sedis Apostolicæ subijcio.* Si quid *verò in eo contineatur aut inueniatur, quod Ecclesiæ Catholicæ* Romanæ *interpretationi vel doctrinæ non sit consentaneum, volo haberi pro non dicto, paratus id ipsum reuocare, quippe cùm animus meus semper fuerit dicere vera, & quæ ab Ecclesia Christi approbentur.*

ſatur ac horret, ita nec animo. Et quid dicam, fidem adhibe mihi, ô Chriſtiane LECTOR, efficacius ad Deo placendum & ſalutem conſequendam nullum omnino extat remedium, quàm ſancta & frequens Confeſſio. Quid, quod nulla alia re certius, validius ac potentius à peccato ac eius mala conſuetudine retrahi humana poſſunt pectora quàm hoc à Deo mortalium generi indito fræno.

Da, ó Deus, vt hæc cognoſcere, ac, poſtquàm norint, vſurpare fideles non deſinant. Vale.

AVTHORIS PROtestatio

EGO LVCAS PINELLVS Societatis IESV, hunc Libellum meum, & quæcunque in eo continentur, iudicio S. Sedis Apostolicæ subijcio. Si quid verò in eo contineatur aut inueniatur, quod Ecclesiæ Catholicæ Romanæ interpretationi vel doctrinæ non sit consentaneum, volo haberi pro non dicto, paratus id ipsum reuocare, quippe cùm animus meus semper fuerit dicere vera, & quæ ab Ecclesia Christi approbentur.

 APPRO-

APPROBATIO.

EGO Mvtivs Vitellescvs Præpositus Prouincialis Societatis Iesv in Regno Neapolitano, facultate ad hoc accepta à Reuerendo admodum Patre nostro Claudio Aquauiua Præposito Generali, potestatem facio, vt opus hoc Patris Lucæ Pinelli de Sacramento Pœnitentiæ, à quatuor nostris Patribus Theologis Romæ recognitum atque approbatum, typis mandetur. Neapoli 20. Nouembris 1607.

Mutius Vitellescus

INDEX

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM, QVAE IN HOC OPVSculo continentur.

LIBER PRIMVS.

De contritione.

LIBER SECVNDVS.

De Confessione Sacramentali.

LIBER TERTIVS.

De Satisfactione.

LIBER QVARTVS.

LIBER QVINTVS.

De particularibus diuersorum statuum peccatis

 5. Actoris

R. P. LVCÆ PINELLI, SOCIETATIS IESV, DE SACRAMENTO POENITENTIAE,

Liber Primus.

DE CONTRITIONE.

Quid sit contritio.

CAPVT I.

CVM inter tres Pœnitentiæ actus, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ materia sunt Sacramenti Pœnitentiæ, primus (S. Concil. Trid. ses. 14. cap. 4. attestante) sit Contritio, meritò quoque primo loco de ea mihi videtur agendũ, præsertim cùm reliqui isti duo actus, Confessio scilicet & Satisfactio, Contritionem necessario præsupponant.

Est igitur Contritio propriè loquendo, quando res dura aliqua in minutas partes rũpitur atq; comminuitur; qua comminutione fit, vt cùm ante ob duritiem suam tractanti non leniter obniteretur atque resisteret, contrita postea quàm maximè tractabilis efficiatur. Similiter & cor peccatoris pec-

cato induratum; inſpirationibus ac conſilijs bonis omnibus obſiſtit; verùm ſimulatque ad Pœnitentiam excitatur, omnis illa euaneſcit durities, fitq; protinus tractabile, humile, & diuinæ voluntati morigerum. Eiuſmodi actus ob ſimilitudinē etiā dicitur Contritio, quæ id operatur, vt Deus cor cōtritū amet & amplectatur, dicēte Pſalmiſta, Pſal. 50. *Cor contritū & humiliatū Deus nō deſpicies.* Obſeruādū verò hîc eſt, Contritionis nomine ſubinde venire dolorem ac triſtitiā cordis, veluti loco citato ex ipſo S. Concil. Trid. Videre eſt, non quia propriè dolor ſit aut triſtitia, ſed quia cauſam præbeat cordi doloris ac triſtitiæ, vti poſtea declarabitur, ac à Nauarro in Manuali cap. 1. nu. 14. explicatur.

Nunc quid ſit Contritio diſpiciamus. Definiri verò hoc modo non incommodè poterit: *Contritio animi dolor, ac deteſtatio eſt volũtaria pro peccatis cōmiſſis, quatenus ſunt offēſa Dei ſuper omnia dilecti, cũ ſpe veniæ, & propoſito non peccandi amplius, ſaltem mortaliter, & cōfitendi, & ſatisfaciendi, vt minimũ virtuali.* Quæ definitio deſumpta eſt ex S. Thoma in Addit. S. Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 4 Soto diſt. 17. q. 1. art. 1. ac Nauarro cap. 1. nu. 1.

Verùm ad pleniorem intellectum, fuſius nonnihil ac per partes eam declarabimus. Primùm ergo Contritio dicitur eſſe *deteſtatio*, Ad

tio. Ad primam hanc particulam intelligendam, ſciendum eſt quatuor præcipuè actus peccatis opponi, & à Pœnitēte exerceri poſſe. Primus eſt, peccatum tollere. Secundus odiſſe peccatum. Tertius eſt, de peccatis dolere. Quartus demū actus, eſt deteſtari peccatum, in quo conſiſtit Contritio: alij enim tres actus, aut Contritionem præcedunt, aut ex ea naſcuntur. Vt exempli gratia, peccati deſtructio, authore S. Thoma, Contritionē præcedit, ac pœnitentem ad eandem incitat: Similiter nec odium peccati rectè dici poteſt Contritio, cùm Contritio peccatum commiſſum tantum reſpiciat; odium verò peccatum perſequatur, quatenus peccatum, ſiue illud commiſſum ſit, ſiue non commiſſum, ipſamq; Contritionem præcedat. Demum dolor, qui de peccato concipitur, ipſam comitatur Contritionem, aut ex ea naſcitur. Quinimò & Cōtritio eſſe poteſt abſque dolore, qualem ſcilicet in Beatis conſpicimus.

Iam, vt quid ſit *Deteſtatio* intelligamus, notandum eſt, hominem, dum peccati à ſe commiſſi naturam conſiderat, vt rem maximè execrandam, quippe per quod Creatorem ſuum offenderit; dumque intelligit quod factum eſt infectum fieri non poſſe; contriſtari, ac dolorem in animo de offenſo Dei cōcipere, qui dolor ex amore erga Deū

proficiſcitur. Quia enim homo amat Deũ, hinc eſt quod doleat ſe eundem offendiſſe; Et quo vehementius eum amat, eò quoque impenſius contriſtatur ſe in eius offenſionem incurriſſe. Hac animi triſtitia mouentur ſenſus, vnde lacrymæ poſtmodum, gemitus ac ſuſpiria proueniunt: atque hic actus appellatur *Deteſtatio*, eſtque talis peccati execratio, vt ſi quod factum eſt, infectum fieri poſſet, nihil æquè deſideraturus ſit Pœnitens, quàm vt peccatum ſuum infectum fieri poſſit.

Ex hac deteſtatione, triſtitia & dolor naſcitur, & ob id ſupra dictum eſt, triſtitiam & dolorem non eſſe propriè Contritionem, ſed eius effectum. Affirmat Nauarrus cap. 1. nu. 3. & ante eum S. Thomas in 4. diſt. 14. q. 1. art. 3. In Beatis etiam reperiri Contritionẽ: pœnitere enim illos ait, quotieſcunque peccatorum in hac vita commiſſorum reminiſcuntur, ea deteſtari, & optare nunquam fuiſſe commiſſa, in quo natura Contritionis conſiſtit. Ea tamen inter illos & nos eſt differentia, quod noſtra Contritio dolorem in ſe habeat: illorum verò omnis penitus doloris ſit expers.

Voluntaria deinde dicitur hæc deteſtatio, (quæ ſecunda eſt particula in hac definitione conſideranda) propterea, quòd Contritionem & Pœnitentiam noſtram non coa-

ctam

ctam aut violentam esse oporteat, qualis est damnatorum, qui miseriam suam considerantes dolent, ac pœnitentia ducuntur suorum peccatorum, propter tormenta quæ patiuntur: sed spontaneam potius ac liberã, vtpote quæ diuino mediante auxilio, deliberata à nobis voluntate sit suscepta, hoc fine, vt iusta Dei ira placata, cum Diuina eius Maiestate reconciliemur.

Tertiò dicitur in definitione, *pro peccatis commissis*: Quia si quis decem peccata mortalia commisisset, ac nouem duntaxat ex ijs detestetur, non erit vera ac bona Contritio; quemadmodum nec vera dicenda sit Confessio si quis decem peccatorum mortalium recordatus, nouem ex ijs solummodò confiteatur: ratio manifesta est; qui enim decimum peccatum mortale non confitetur, sed voluntariè illud omittit, hoc ipso silentio apertè illud ipsum peccatum sibi placere demonstrat, quo fit, vt inidoneus fiat ad recipiendam gratiam diuinam, quæ locũ non habet, vbi peccata dominantur mortalia. Deinde si pœnitẽtẽ de peccato dolere oportet, in quantũ hoc ipso Deus offenditur, necesse erit vt de omnibus decẽ habeat Cõtritionẽ, cùm certũ sit Deum omnibus istis decẽ peccatis quàm grauissimè offensum esse.

Quartò consideranda veniunt in hac definitione verba ista, *quatenus sunt offensa Dei super omnia*

per omnia dilecti. Si quis enim peccasse se doleat, vel ob metum pœnæ à Magistratu politico sceleribus ac peccatis constitutæ; vel ob infamiam quæ sequi assolet ipsum peccatum, veluti si quis in manifesto furto deprehendatur; aut ob alia ex peccato prouenientia incommoda: dicetur non veram habere Contritionem, etiamsi vel maximè illum admissi criminis pœniteat, propterea quòd veram Contritionem ex synceero erga Deum (qui supra omnia amari meretur) amore nasci oportet; vtpote ex quo totam suam vim ac robur consequatur. Et hæc quidem est communis Theologorum, sanctorumque Patrum sentẽtia, in S.S. Litteris firmissimè fundata, (1. Cor 13.) quæ nihil homini absque caritate prodesse asseuerat, eidemque non raro attribuit remissionem peccatorum, veluti Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* S. Augustinus item, de vera & falsa Pœnitentia cap. 9. & 17. absque caritate neminem, ait, gratiam aut remissionem peccatorum consequi. Qua quidem in re vnicum illud occurrit dubium: An scilicet hanc caritatem explicitam esse necesse sit, & actualiter ex ipsa voluntate procedere; an verò sufficiat implicitam eam esse tantùm, & virtualem? Quæ quęstio cùm speculatiua potius sit quã practica, illud hîc tantum monuisse suffe-

cerit

cerit, S. Thomam, Paludanum, & Sotum in 4. Sentent. quos & sequitur Suarez Tomo 4 disp. 4. sect. 2. in ea esse sententia, veram posse esse Contritionem, quæ caritatem tantum habeat virtualem. Vnde liquidò satis apparet, eum, qui verè contritus sit, ideò maximè detestari ac odisse peccatum, quia per id offendatur Deus, omni à nobis super omnia amore prosequendus: ita tamen vt non existimemus prohiberi interim pœnitentem secundariò quoque dolere ob alia damna incommodaque, quæ perpetratum iam peccatum sequi consueuerunt, quemadmodum docet S. Thomas in 4. Sent. dest. 17. qu. 2. art. 3 Adrianus de pœnit. quæst. 1. colum. 4. item Nauarrus cap. 1. num. 7. & 8.

Quintò in definitione Contritionis illa verba obseruanda sunt, *cum spe veniæ, & proposito non peccandi amplius, saltem mortaliter.* Quod propositum deinceps non amplius peccandi mortaliter saltem vsque adeo est necessarium, vt sine eo nulla possit esse vera Contritio aut Pœnitentia Sic Sacra docent Concilia, Florentinum in Decreto Eugenij, & Trident. sess. 14. cap. 4. nec non S. Augustinus idem confirmat sermone 7. de Tempore, vbi inquit Pœnitentiam veram constare peccati odio, & amore erga Deum. Peccatum verò odisse ille dicitur, qui firmũ habet

habet nō amplius peccādi propositū. Et sanè illud ipsū ratio ipsa dictitat. Cū enim ad gratiam & peccatorum remissionem impetrandam ex toto corde hominem conuerti necesse sit, ad hanc autem conuersionem duo necessariò requirantur; nimirum declinare à malo, (quod fit per peccatorum detestationem:) & facere bonum, quod fieri non potest citra propositū vlterius nō peccādi: manifestissimū euadit, hoc propositū à vera Contritione abesse nullo modo posse. Necesse tamē non est, (quēadmodū & illud rectè Nauarus cap. 1. n. 9. in fine annotauit) vt Pœnitens certò sibi persuadeat, nūquam deinceps se mortaliter peccaturum. Quis enim non videat, id superbiæ quoddam indicium esse. Quin imò rectè faciet, si modestè de se sentiat, neque nimiam in propria constantia fiduciam ponat; optimè enim cū vera contritione eiusmodi timor quadrat: propositum quoque deinceps non amplius peccandi non impedit nec obstat, quo minus, diuino mediante auxilio, Pœnitens suorum peccatorum gratiam ac remissionē consequi possit. Illud insuper addo, absolutionem ei pœnitenti denegari neque posse, neque debere, qui de semetipso, quid facturus esset, dubitaret, si nimirum in ijs se terminis videret esse constitutum, vt vel peccatū mortale committere, vel vitam amittere

necesse

necesse sit, dummodò in præsenti proposi-tum habeat deinceps non amplius morta-liter peccandi: Cùm enim eiusmodi dubita-tio aut diffidentia, ex humilitate, tanquam ex causa sua originem trahat, eoque neque peccatum esse possit, neque impedimentum vllum afferre Contritioni; rectè asseritur, eius causa absolutionem nemini esse dene-gandã. E contrario quoque dici non potest, veram Contritionem habere eum, qui pro-positum habet ex authoritate propria vin-dicandi, si qua fortè inferatur illi iniuria, & sic neque per consequens talis meretur ab-solui. Verbi grat. Si quis apud animum suum constitueret occidere aut vulnerare eum, à quo fortè mendaciunculo aliquo fuerit a-spersus: ratio est, quia talis animum habet peccandi mortaliter, si modò offeratur oc-casio.

Quamuis autem hanc de expresso pro-posito sententiam, tutius sit non tantùm disputando sustinere, sed crebris etiam mo-nitionibus populo è suggestu inculcare, quemadmodum de Contritione annotat Suarez disp. 4. sect. 3. nihilominus tamen fieri potest in certis casibus, vt propositum duntaxat tacitum & virtuale sufficiat, id est, vt in bona tantùm aliqua actione quasi in-clusum teneatur. Verbi gratia: Est aliquis, qui pœnitẽtia suorum peccatorum ductus,

apud

apud animum suum constituerit vitam mutare, eamque Creatoris sui voluntati cōformare; hîc manifestum est, propositum illud in posterum non amplius delinquendi, non esse expressum, sed tacitè in voluntate eius ac consilio de mutanda vita contineri. Pari ratione, si quispiam ita seriò peccata sua contra Deum commissa detestaretur ac odisset, vt præ isto dolore nihil aliud cogitaret, aut deinceps cogitaturus esset, negari nō potest, quin talis verā habeat Cōtritionē, etsi propositū istud nō habeat expressum, sed tacitū duntaxat ac virtuale. Cuius rei in Dauide apertissimum habemus exemplum, qui nulla etiam eius facta mentione, quod in posterum facturus esset, suorum peccatorum impetrauit remissionem, dicendo duntaxat: *Peccaui Domine*, (2. Reg. 12.) Quòd si verò Pœnitenti ita in mentem veniant peccata, vt ad ea denuo perpetranda aliquo modo videatur incitari, tum sanè necessarium erit illi propositum expressum, quo firmiter apud se constituat, nunquam illa in quocunque etiam casu denuo committere. Et quidem omnis hæc doctrina desumpta est ex Medina de pœnit. quæst. 3. ex Vega libr. 13. super Concil. Trid. cap 21. ex Nauarro cap. 1. num. 6. alijsque demum modernis Authoribus.

Sextò in hac definitione Contritionis di-

scuti.

ſcutiendum eſt, quid ſibi verba illa velint, *propoſito non peccandi ſaltem mortaliter*. Denotant autem illa nihil aliud, quàm propoſitū hoc tale eſſe debere, vt in poſterum peccata vitare velimus magis quàm quoduis aliud malum aut incommodum, id eſt, à nulla perinde re æque abhorrere debet pœnitens, quàm ab offenſione diuina, firmiterque apud animum ſuum conſtituere, quæuis potius ſubire damna ac pericula, quàm Deum mortaliter peccando offendere, idque generaliter ita ſibi proponere ſuffecerit, quemadmodū id notat S. Thomas in Addit. q. 3. a. 1. ad 4. Soto in 4. Sēt. diſp 17 q. 2. a. 4. Nauarrus cap. 1 nu. 17. & 18. Non enim hìc ad particularia deſcendere neceſſe eſt, quinimò periculoſum eſſet, ſi quis dicat: Mori malo, facultatum mearum iacturam pati, ſtipem oſtiatim quærere, ac demum proprijs liberis orbari, quàm Deum vel vnico mortali peccato offendere. Iſta enim incommoda, ita particulatim excuſſa, magis hominem moueant, quàm ſi generaliter tantùm conſiderentur, periculumque erit, ne ex eiuſmodi conſideratione, Contritionem ſimul ac Confeſſionem Pœnitens aſpernetur. Neque rectè fecerit Confeſſarius interrogādo Pœnitentem, malitne mori potius ſe ac liberos ſuos, quàm vnicum duntaxat peccatū mortale committere? Quid enim hoc aliud eſt,

quàm

quàm pœnitentem citra omnem necessitatem in angustias conijcere? Quod si verò Pœnitens proprio motu eiusmodi comparationes secum instituat, firmiterque apud se constituat, quoduis potius pati damnum, quàm Deum offendere, quemadmodum ad id reipsa obligatus est, rem haud dubiè omni laude dignissimam præstiterit.

Veruntamen omni pœnitenti vtilissimũ fuerit, si in singulis confessionibus id maximè doleat, quòd, non quantum oporteat, in se dolorem ac contritionem sentiat; prudenterque facere existimandi sunt ij Cõfessarij, qui omni in id studio incumbunt, vt pœnitentes suos ad summum Contritionis gradum perducant; faciantque, vt de peccatis admissis, quàm fieri potest, intensissimè doleant: quod si nequeant, hoc efficiant, vt id saltem seriò doleant, quod, quãtum velint, dolere non possint. Ista enim res, mirum, quantum adiuuet Pœnitentes, ad maiorem ex Pœnitentiæ Sacramento gratiam percipiendam.

Septimo demum ac vltimò, in Contritionis definitione illa verba attendenda sunt, *& proposito confitendi*. Contritio enim quãuis deleat peccatum quoad culpam & pœnam æternam, hominemque in gratiam cum Deo restituat: nihilominus tamen, quia obligationem non tollit peccata commissa confi-

confitendi, neceſſario etiam requirit propoſitum opportuno tempore eadem confitendi, quemadmodum docet S. Thomas in 4. ſent. diſt. 17. qu. 2. art. 1. Adrianus de Confeſſ. quæſt. 1. Nauarrus cap. 1. num. 10. 11. & 12.

Hoc propoſitum expreſſum eſſe præſtiterit quanquam tacitum etiam & virtuale ſufficiat: verbi gratia, Si quis doleat de peccatis contra Deum commiſſis, cum voluntate in poſterum morem gerendi eius præceptis, huic ſufficiet propoſitum, præfinito à lege tempore confitendi. Idem intelligendum eſt de propoſito ſatisfaciendi ac obediendi Confeſſario, in quibuſcunque opus erit.

Notandum hic eſt, S. Concil. Tridẽtinũ, ſeſſ. 14. c. 4 aſſerere, quòd Cõtritio neceſſaria ſit ad ſalutem omnibus ijs, qui à tẽpore Baptiſmi in peccatum mortale inciderint. Atqui id (dicet aliquis) rationi non videtur eſſe conſentaneum; fieri enim poteſt, vt ex inopinato quis ad martyrium rapiatur, nihilque aliud cogitet, quàm de morte pro Chriſti nomine alacriter ſubeũda, aut certè vt mulier aliqua interfici ſe patiatur potius, quàm in peccatum cõſentiat; tales dubium non eſt quin ſaluentur, & tamen Contritionem non habẽt de peccatis ſuis. Reſpondeo; Si talibus in mentem veniat

peccatorum admissorum recordatio, iam necessariò obligati sunt de eiusmodi peccatis expressam & actualem habere Contritionem, alioquin enim non saluantur: Si verò nullum ijs peccatum occurrat, in amore scilicet diuino penitus occupatis, in eo casu sufficit ijs virtualis tantum Contritio, quæ in isto amoris actu concluditur, quandoquidem mori potius parati sunt, quàm Deū offendere. Et qui tali erga Deū amore præditus est, implicitam habet voluntatem dolēdi de peccatis suis, eademq; confitendi ac adimplēdi tandem quicquid à Deo illi commendatur. Fundamentum autem huius doctrinæ illud est, quia fieri facilè potest, vt citra culpam suam quis suorum peccatorum obliuiscatur, & tum necesse non habet de ijsdem habere Contritionem, qua tum demum opus est, quando Conscientia nos peccati alicuius redarguit, quemadmodum docet S Thomas p. 3 q. 87. ar. 1 Talis ergo per actum Amoris iustificari poterit, in quo virtualiter cōtinetur Pœnitentia. Et Suarez Tom. 4. q 86. disput. 9 sect. 1. assert 2 qui in eadem est sententia dicit, similem planè esse rationem cū obliuione, quæ citra culpam nostram obrepit, propterea quod vtraque inuoluntaria existit Itaque semper aut expressa aut virtuali opus est Contritione. Et eo modo exau-

dic-

diendum est, S. Concilium Tridentinum. Estq; hæc doctrina Scoti in 4. Sen. dist 14. quæst 1 art 3 Gabriel concl. 1. q. 2. ad 3. Medinæ q. 2. ad 3. Caietani p 3 quæst 87. art 1. Nauarri cap. 1 num 5 & 6. Soto dist 1 q 1. art. 2 Vegæ lib. 6. in Trident. cap. 3 & 34.

De scrupulis aliquibus, circa Contritionis materiam occurrentibus.

CAPVT II.

VT verò rectius intelligatur Contritionis natura, dubia ac quæstiones aliquot proponemus, ex quarum enodatione facilius illa percipi possit. Prima est: quantus scilicet dolor de cõmissis peccatis ad veram Contritionem requiratur? Adrianus de Pœnit. q 2. art. 2. putat eũ intensissimum esse, ac eximis præcordijs debere procedere: At secundum communem & veram sententiam, quam sequitur S. Thomas in addit. q 3. art. 1. dist. 17 q 2. art. 4 Soto, Medina, Vega in Trid lib. 13. c. 24 alijque complures, summum quidem eum dolorem esse conuenit, secundum æstimationem, vt loquuntur Theologi, non autem secundum intentionem, cum in hac vita nullus animi dolor vsque adeo intensus sit, vt intẽsionem nullam recipere possit, id est, pluris æstimare pœnitens debet

Deum mortaliter peccãdo offendiſſe, maioremque hinc animo concipere dolorem, quàm ſi quoduis aliud damnum fuiſſet perpeſſus, aut rem quantumuis pretioſiſſimam perdidiſſet. Sic Nauarrus c. 1. n. 4. ſentit in ſuo Manuali, vbi S. Thomam citat eidem ſententiæ aſtipulantem, eodem ſcilicet modo, quo ſummum ac maximum eſſe decet amorem, quo amamus Deum, cũ tamen nihilominus (& quidem citra peccatum) propriam vitam ac liberos impenſius teneriuſque amari à multis videamus, quàm ipſum Deum. Summus ergo ac maximus amor erga Deum dicitur quoad ipſam æſtimationem, qua pluris hunc amorem æſtimat homo, quàm reliquarum omnium creaturarum; imò & ſui ipſius amorem. Et ſi ad eam neceſſitatem redigeretur, vt aut perdenda vita, aut relinquendus ſit Deus, millies mortem oppetere malit, quã Deum deſerere, quo amoris genere omnes S. Martyres claruiſſe manifeſtum eſt.

Simili ratione, ſi gratius Pœnitenti ſit quæuis mala fuiſſe perpeſſum, quàm Deũ vel vnico peccato mortali offendiſſe, rectè eum ſummum de peccatis cõcepiſſe dolorem dicemus quoad æſtimationẽ, etiamſi dolor ille voluntatis non ita admodum ſit intenſus. Ad cuius rei maiorem euidentiam illud etiam affirmo, Contritionem, licet

quoad

quoad intentionem eo dolore, quem ex rebus temporalibus concipimus, inferior sit ac remissior: sufficere tamen nihilominus ad quoduis etiam enormissimum peccatū obliterandū: ratio hæc est, quòd vbicunq; cōtritio aliqua est, quantumuis exigua, ibi etiam est gratia: & minimus gratiæ gradus sufficiens est ad delendum qualecunq; peccatum, & ad restituendum pœnitentem in amicitiam Dei. Vnde fieri potest, vt quis veram habeat Contritionem, ac sit in gratia Dei, & tamē nihilominus grauiorem in animo suo sentiat dolorem, ob bonorum suorum iacturam, aut liberorum amissionem, quam ob peccatum aliquod mortale commissum, per quod & diuina gratia exciderit, & ipso pariter Deo priuat⁹ sit. Causa huius rei hæc est: quòd mediātibus sensibus fortius moueat voluntatem obiectū sensitiuū, quàm obiectū spirituale, cuiusmodi est peccatum. Certam ergo intentionem nō requirit Contritio, sed sufficit omnis Contritio in quocunq; ea sit gradu, dicente S. Chrysostomo in epist. 5. ad Theodos. *Quantulamcunq; & quamlibet breui tēpore nō despicit pœnitētiam Deus.* Et ratio est: quando enim Deus Cōtritioni peccatoris remissionem promisit non limitauit eam, neque tantam aut tantam esse iussit, ergo neque nos eam limitare debemus. Præter-

ea peccatum mortale in omni gradu, quã-tumuis infimo, sufficiens est ad tollendam gratiam; cur non ergo Contritio, quantumuis in gradu remissiore, disponere pœnitentem valeat ad eandem gratiam recuperandam? Et si interdum S. Scriptura, aut SS Patres magnum à nobis ob perpetrata peccata requirunt dolorem, sciendum est id esse consilium perfectionis: quò enim maior est Contritio, eò melior est, & ad diminuendas pœnas efficacior. Huic sententiæ, præter Theologos supra citatos, etiam astipulatur Gabr. in 4. Sent. dist. 14. quæst. 1. art. 1. conclus. 5.

Secundum dubium circa materiam Cõtritionis est tale: Sitne necessariũ de singulis peccatis mortalib. dolere particulatim, ita, vt si quis mille peccatis mortalib. oneratus sit, tantũdem numero dolores de ijsdem necessario requirantur ad veram Cõtritionem? Partem affirmantem tuentur Angelus verbo, Cõtritio: Ludolphus de vita Christi Part. 1. cap. 20. alijque nonnulli Auctores, qui à Nauarro cap. 1. n. 22. citantur. Potior tamen est sententia eorum, qui è contra negãt de vnoquoq; peccato mortali particulatim & seorsim necessario esse dolendum; sufficit enim dolor communis, qui in genere de omnibus peccatis commissis concipitur, etiamsi in examinanda consci-

conſcientia pœnitens omnium ſuorũ peccatorum non recordetur. Qui quidem dolor ac deteſtatio peccatorum indifferẽter adhiberi poterit, aut ſub initium examinis quo pœnitens ſe præparat ad Confeſſionẽ, aut in medio, aut ſub finem. In ea ſententia eſt Maior in 4. ſent. diſt. 17. q. 5. Caietanus Tomo 1. opuſc. 4. q. 2. & in 3. p. q. 87. art. 1. Nauarrus cap. 1. n. 22. alijq́; complures. Rationi vero & SS. Scripturarum veritati hãc ſententiam magis eſſe conſentaneam, ſatis manifeſtum eſt. Si enim de ſingulis peccatis ſeorſim ac particulatim dolere neceſſe eſſet, iam qui millies peccaſſet, non poſſet quouis momento conuerti, aut peccatorum ſuorum impetrare remiſſionem, quod tamen fieri poſſe apertè SS Scripturæ profitentur: ſed opus haberet multo tempore ad ſingula peccata in ſpecie millies ſcilicet deteſtanda. Præterea, ſi quis à Magiſtratu condemnatus ad mortẽ, aut alioquin graui morbo preſſus, præter quadrantem horę nihil temporis ad vitam ſuã reliquum haberet, iam hic non poſſet ſaluari, quia tantillum temporis ad concipiendos mille dolores non ſit ſufficiens.

At dicet hic aliquis: ſi vnus generalis dolor ſufficiat de omnibus commiſſis peccatis, quorſum neceſſarium erit ſingula peccata in memoriam reuocare? Reſpõdeo, id

quidem non esse necessarium ratione Cõtritionis, pro qua sufficit, si nõ complaceat sibi pœnitens in peccatis suis iam ad memoriam reuocatis, sed semel simulque illa generaliter vno Cõtritionis actu vniuersa detestetur: necessarium verò esse ad Cõfessionem, in qua cum particulariter singula recensenda peccata sint, omnino à pœnitẽte requiritur, vti diligenti facto examine, quoad fieri potest, eorundem sibi numerũ in memoriam reducat.

Tertiò quæritur, an de maiorib peccatis grauius quoq; dolere necesse sit? Item, an oporteat ea grauius quàm leuiora detestari? Cuius quæstionis solutio tota dependet ab ijs, quæ de præcedenti dubio dicta sunt. Si enim vnus dolor & communis detestatio in genere virtualiter sufficit super omnibus peccatis, iam etiam necesse non erit de grauioribus peccatis grauius dolere actualiter Et hæc est communis sententia: D. Thomæ, in 4. Sentent. Dist. 17. q. 2. art. 3. q. 3 ad 2. S Bonauenturæ, Dist. 16. ar. 5. q. 2. Nauarri, Cap. 1. n. 31. & aliorum. Nihilominus tamen salubri obtemperare consilio, prudenterq; ac sanctè facere censendi sunt isti pœnitentes, qui pro grauitate delicti, grauiore quoq; premuntur dolore ac contritione. Ratio est: quanquam enim omnis vera Contritio, etsi remissior minusque diutur-

diuturna ſit, ſufficiat ad abolendum quod-uis peccatum, quantumuis maximum, valeatque pœnam æternam inferni commutare in pœnam temporalem, pro qua ſcilicet in hac vita vel in purgatorio, poterit ſatisfieri: nihilominus tamen, quandoquidem quo maior eſt Contritio, eò maiorem quoq; vim habet pœnas temporales diminuendi; ſalubre conſilium eſt pro grauioribus delictis, grauiorem etiam experiri dolorem & contritionem.

Quartò dubitatur: An in Cõtritione etiam lachrymis, ſuſpirio, alioque dolore ſenſitiuo ſit opus? Et reſpõdetur, quòd nõ: Contritio enim conſiſtit in deteſtatione peccati, quæ dependet à voluntate in odio habente omne peccatum contra diuinam legem commiſſum. Vnde S. Cõcil. Tridẽt. Seſſ. 14 ca 4. Contritionem explicans, non ſenſus, ſed animi dolorem eam eſſe affirmauit. Lachrimæ ergo ac ſuſpiria, effectus ſunt diſplicentiæ, vtileſque ad augendos, excitandoſque maiores in animo ac voluntate ob peccatũ dolores. Adde quod in noſtra poteſtate lachrimæ non ſint, neq; excitari poſſint ab ipſo peccato, quippe quæ res eſt inſenſibilis. Hinc eſt, quòd cõmuniter, & quidem citra peccatum, grauiorem in ſenſitiua animæ noſtræ parte dolorem experiamur, ob mortẽ noſtrorum parentum,

quàm ob peccata contra Deum commissa, propterea quod mors ista, vt res sensibilis, sensus moueat; peccatum verò sensus mouere non possit, cum nō sit sensibile. Et hæc est doctrina S. Thomæ in 4. Sent. dist. 17. q. 2. art. 1. Paludani d. 17. q. 1. a. 5. Nauarri ca. 1. n. 20. & aliorum.

Quintò ambigitur: An è vestigio post perpetratū peccatū obligemur ad agendā Pœnitentiam & Contritionem? Super quā quæstionem respōdeo: Si quis secus faciat, eum malè facere ac periculosè; malè quidem, propterea quod donec quis non agit pœnitentiam, tam diu diuina gratia destitutus sit, & Dei inimicus; iam verò cuilibet notum est, inimicitiam Dei rem esse pessimam & quam maximè abhorrendam: periculosè verò ideo agit, propterea quod ex inopinato subitanea morte superueniente facilè fieri potest, vt anima nulla ante habita de peccatis cōtritione, in æternā præcipitetur damnationem. Hinc S. Scriptura clamat: Eccl. 5. *Nō tardes conuerti ad Dominū & ne differas de die in diem.* Verum quidē est, quod quis non pœnitendo subitò post cōmissum peccatum, denouo non peccet, quippe cum nullum hac de re extet præceptum obligatoriū; deinde quia præceptum de contritione, cum sit affirmatiuum, sicut & præceptum de Confessione, non semper

sed

ſed certo tantum tempore obliget, quemadmodum demonſtrabitur poſtea latius: ſalubre tamen conſilium eſt, ſubitò dolere ob peccata commiſſa: quo enim citius quis agit pœnitentiam, eò citius quoq; in gratiam redit, & amicitiam protectionemque diuinam; id quod ſanctum, vtile, ac votis omnibus eſſe expetendum, nemo eſt qui neget. Vnde decipiuntur, quotquot opinātur poſt commiſſum peccatum mortale, tā diu aliquem in peccato mortali & diuina inimicitia exiſtere, quam diu non ſit confeſſus, quod falſum eſt; ſimulatque enim de peccatis ſuis dolet peccator, & contritionē habet, in gratiam redit cum Deo, deletur peccatum, & amicitiæ Dei reſtituitur; quāquam obligatio interim non tollatur præſtituto tempore confitendi. Hæc eſt cōmunis ſententia, veritatiq; maxime conſentanea, quam ſequuntur D. Thomas in 4. Sen. d.17. q. 3. art. 2. Alenſis in 4. parte, quæ. 17. memb. 2. art. 2. Angelus verb. contrit. n 5. Soto diſt. 17. q 2 art. 6 Nauarrus c. 1. n 27. & 29 & alij complures.

Sexto quæritur quo tempore eiuſmodi Contritio & dolor de peccatis requiratur? Sunt qui exiſtimant, quotieſcūq; quis peccatorum mortalium recordatur, toties obligatum eſſe de nouo eadem deflere ac deteſtari, ne ſcilicet in eadem iterum recida-

mus. In hac sententia fuit Alensis, p. 4. q. c. 8 Richard⁹ dist. 14. art 9. q. 1. & Paludanus. dist. 17. q 1. art. 3. Alij, & quidem rectius, negant, necessarium esse in tali casu ad Contritionem recurrere, cùm aliud huic malo adhiberi possit remedium: satis enim est, peccatis istis in memoriam recurrentibus, & quidem cum tētatione denuo ea perpetrandi, ijsdem neque delectari, neq; præbere consensum, sed quam constantissimè ea à se repellere. Ita sentiunt Caietanus in suis opusculis, Tom. 1. q. de Contr. Adrianus de Confessione in 4. sent. q 3. Soto dist. 17. q. 2. art. 6 Medina de pœnit tract. 1. q. 6. Nauarrus ca. 1. nu. 28. & 29. Fuerunt & alij, qui dixerunt, Festorum sanctificationi conuenientissimum opus esse dolere de peccatis. Consilium nequaquam aspernandum modusq; festa celebrandi optimus, sed cui tamen nulla obligatione astringimur, præsertim cum expressum ac determinatum habeamus, quid faciendo recte hodie festa celebremus, puta audiēdo Missam, & à seruilibus operibus abstinendo. Ita tenet Medina de pœnitentia q. 6 Can. 2. par. relect. de pœnit. Soto in 4 sent. dist. 17. Nauarrus in Manuali cap. 11. n. 7. & 8. Hæc igitur est vera responsio ad præsentem quæstionem, quod Pœnitens non sit obligatus ad Contritionem, aut ad dolendum de peccatis

commis-

commissis, præterquam in casibus sequentibus. Primo in periculo mortis, veluti si febri acuta, peste, aut alio quouis graui morbo decumbat. Hæc est frequẽtiorum Theologorum calculo recepta opinio, cui subscribũt Theologi moderni: Medina tract. 1. de pœnit. quæst. 6. Melchior Canus de pœnit. q. 2 Soto dist. 17. q. 2. art. 6. Nauarrus cap. 1. n. 27. alijque complures.

Secundus casus, in quo necesse est dolere de peccatis, est, si administrandum aut recipiendum aliquod sit Sacramentũ: quisquis enim mortalis peccati sibi conscius, Sacramentum aliquod administrare aut recipere præsumit, iniuriam facit ipsi Sacramento, quod citra reuerentiam & indignè tractat. Ita arbitratur Nauarrus cap. 1. n. 27. & hanc asserit esse communem sententiam, quanquam ad recipiendum Baptismi aut Pœnitentię Sacramentum, in adultis sufficiat Attritio, attestante S. Thoma 3. par. q. 79. art. 3. ad 2. & in q. 80. art. 4. ad 2. Causa huius rei est, quòd per hęc duo Sacramẽta aditus detur ad vitã spiritualem, quæ in ipsa gratia consistit. Non igitur peccat, qui ad illa cum Attritione accedit, etiam sine gratia, vt illis mediantibus gratiã recipiat, quam vita illi subministrat spiritualis. Et hoc est, quod innuit S. Concil. Trident. citato loco, & ob hãc causam hęc duo Sacra-

menta à Theologis vocantur Sacramenta mortuorum.

Tertiò necessarius est dolor de peccatis, si grauis aliqua instet tentatio, à qua lapsum sibi probabiliter timere possit, qui in peccato mortali est constitutus; in tali enim casu periculum est mortis spiritualis, dicente S. Gregorio Hom. 11. in Ezech. *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit*; cui supra citati Auctores penè omnes astipulantur.

Quartus casus est, si in magna aliqua tribulatione constitutus sit populus, tũ opus est dolere pro peccatis, ad placandam scilicet diuinam iracundiam. Ita putat Adrianus in 4. sent. Nauarrus cap. 1. n. 27. & Petrus Soto de pœnit. le. 13.

Ratio hæc est: qui enim non est in statu gratiæ, non est aptus ad placandum Deum. In quatuor hisce iam enumeratis casibus, iustis ac necessarijs de causis, opus est homini recõciliari cum Deo, eumq; sibi propitium reddere; quod fieri potest quàm cõmodissimè, mediante Contritione, qua disponitur homo ad gratiam & amicitiam diuinam recuperandam, simulque ad ediscendum quid ab illo requirat Deus.

Septimò dubitatur: sitne necesse de ijs denuo dolere peccatis, quæ quis iam ante vera Cõfessione & Contritione expiauerit

Item,

Item, rectène faciat, qui præterita peccata in memoriam reuocat eo fine, vt denuò ea defleat ac deteſtetur? Ad primam huius quæſtionis partem reſpondeo cum Nauarro cap. 1. nu. 28. vtiliſſimũ eſſe multoties dolere de peccatis commiſſis; mediante enim Contritione, ſemper aut confertur aut augetur gratia: neceſſarium verò id eſſe nego cùm ad eiuſcemodi Contritionem, de ijſdem ſcilicet peccatis reiterandam, nullo præcepto aut obligatione aſtringamur. Culpa enim ſemel Contritione deleta nunquam redit, dicente Propheta Nahum c. 1. *Non conſurget duplex tribulatio.*

Quod porrò ad alterã huius quæſtionis partem attinet, diſtinctione opus eſt. Sunt enim quædam peccata, quorum refricata memoria confuſionem homini inducit, ac terrorem; cuiuſmodi ſunt blaſphemia, hypocriſis, oppreſsio pauperum, & ſimilia. Hæc ſubinde in memoriam reuocare, vt de nouo de ijſdem doleas, vtile eſt, & neq; vllo modo periculoſum. Alia item peccata ſunt, quæ particulatim conſiderata, voluptate quadam ſenſum demulcent, nouumq; peccandi deſiderium excitant, cuiuſmodi ſunt peccatũ carnis, ambitionis, vanæ gloriæ, lucri cupiditas, aliæq; delitiæ temporales; & horum peccatorum non recordari pœnitentem ſatius eſt, cùm periculum ſit, ne for-

ne fortaſſe voluptate aliqua ex eorum recordatione delinitus, denuo ad eadẽ vitia inclinet, aut certè ab alijs bonis actionibus abſtrahatur: Sit ergo ſatis, ſemel ea defleuiſſe ac confeſſum eſſe pœnitentem. Quod tamen in communi tantum ac generaliter dictum volo: fieri enim poteſt, vt quis tantum in virtutibus, ſuique ipſius mortificatione fecerit progreſſum, vt ab eiuſcemodi peccatorum recordatione, nihil ſibi periculi timere opus habeat, ſed emolumentum potius, quàm detrimentum ex ea exſpectet, vtilitasq́; non exigua ex frequenti eiuſmodi peccatorum deteſtatione ad animam eius redundet.

Octauum dubium eſt: An, vt valeat Contritio, temporis aliqua continuatione ſeu duratione opus habeat? Ad quam quæſtionem, ſecundum communem ac veram ſententiam reſpondendum eſt, omnem Contritionem, licet vnius duntaxat momenti ſit, ſufficere ad liberandam & exoluendam animam à peccatis omnibus, quantumuis grauiſſimis, aſſentientibus SS. Literis, 2. Regum 12. cap. vbi vix verbum illud Dauid protulerat, *Peccaui*, quando Nathan Propheta reſpondit: *Tranſtulit Deus peccatum tuũ.* Quin & rationi conformis eſt hæc ſententia. Si enim in momento conceptũ ani-

mo

mo peccatum gratiam tollit, hominemq; Deo reddit inimicum, cur non & Cōtritio, quæ contraria eſt peccato, eiuſmodi damnum, licet in vno ſolo momento animo ſit concepta, valeat reſarcire? Nihilominus tamen bonum eſt Contritionem alicuius eſſe durationis, certumq; eſt, quò diutius durat, eò eſſe meliorem; ita tamen vt illa duratio non requiratur de neceſſitate. In hac ſententia eſt Nauarrus in ſuo Manuali c. 1 n. 31, eamq; cōmunem eſſe aſſerit, aſtipulante Suarez de contrit. diſp. 4 ſect. 5 vbi D. etiam Thomam citat vnà cum multis alijs Theologis. Scotus verò in 4. Sent. diſt. 14. q. 2. art. 1. contrarium ſentit, quam tamen ſententiam alij non amplectuntur.

Nonò quæritur: Sitne neceſſe deteſtari peccatum ſupra omne id quod eſt deteſtabile? Caietanus in opuſculo ſuo quarto q. 1. & quinto quæſt. 5 nu. 35. partem defendit affirmantem, alioquin enim, inquit, eiuſmodi deteſtationem ad obtinendam gratiam non eſſe ſufficientem. Nauarrus ca. 1. vbi hanc tractat materiam, nō nihil eſt obſcurus. Caietani tamen communis eſt & vera ſententia, propterea, quòd qui peccatū non deteſtatur ſupra quicquid eſt deteſtabile, neq; rectè conuerſus eſſe ad Deum, neq; Deum ſupra omnia amare exiſtimetur. Interim tamē nō tenetur neq; debet in parti-

particulari eiuſmodi cōparationem inſtituere, dicendo v. g. Malim me facultatum omniū mearum feciſſe iacturam, quàm admiſiſſe peccatū mortale. Itē: Me ac liberos meos mortem potius oppetijſſe optârim, quā Deū mortaliter peccando offendiſſe, propterea quòd (vt dictū eſt ſupra) eiuſmodi cōparationes particulares præterquam quòd neceſſariæ non ſint, periculo etiam non careant. Si quis tamen id faciat, ita eū affectum eſſe neceſſe eſt, vt quoduis potius pati damnū maluerit, quàm Deū Creatorē offendiſſe, quē nullius damni habita ratione, ſupra omnia amare obligatus eſt. Satis eſt ergo ad Contritionē, in cōmuni peccatū ſupra quicquid deteſtabile eſt, deteſtari.

Decimò quęritur: An vera Contritio ſit, ſi qui plurima peccata commiſit mortalia, doleat dūtaxat de vno? Et an talis impetraturus ſit gratiā? Super qua quæſtione reſpōdeo, duobus illud modis fieri poſſe: primò, ſi quis actualiter multorum à ſe commiſſorum peccatorū recordetur, & ex his ſolummodò deteſtetur vnum, talis non cōſecuturus eſſet gratiam, nec veram cenſendus eſt habere Contritionem; quia omnia illa peccata non deteſtatur, quæ illi in mētem veniunt, cùm tamen nullum inter ea exiſtat, quo non grauiter offenſus ſit Deus. Vnde ſi quis dolere de omnibus & ſingulis

poſſit.

posſit, & tamen de omnibus non doleat, excuſationem non meretur, & per conſequens neque iuſtificatur. Ita ſentiunt Cordubenſis lib. 1. q. 15. & Suarez de contrit. diſp. 4 ſect. 6 Alter modus eſt, ſi quis reminiſcatur tantùm vnius peccati à ſe commiſsi, reliquorum nulla recurrente memoria. Et hoc modo Contritio, quæ fit de tali peccato, veræ Contritionis nomen meretur & gratiam: talis enim virtualiter omnia ſimul alia quæq; à ſe commiſſa peccata deteſtatur, quorum in tali caſu cenſetur oblitus; cùm & iſta, ſi modò illi veniſſent in mentem, explicitè quoque, ſicut vnum iſtud, fuiſſet deteſtaturus. Hæc eſt ſententia S. Bonauenturæ, Medinæ, & Cordubenſis, quos citat Suarez de Contrit. diſputat. 3. ſect. 6 artic. 3.

De effectibus Contritionis.

CAPVT III.

EFfectus Contritionis varij ac multiplices ſunt, non tam numero, quàm virtute & excellentia. Quorum primus ac præcipuus, à quo quaſi cæteri omnes dependent, hic eſt, quòd peccata deleat & hominé immediatè diſponat ad recipiendam gratiam qua gratus ſit Deo, aut certè eandem augeat, quæ pignus eſt gloriæ cæle-

cæleſtis, quaque nihil in hac vita pretioſius poteſt excogitari; vtpote quæ ita animam exornet, vt ſummè placeat oculis ſponſi cæleſtis.

Præterea illud quoq; operatur Contritio, vt homo, qui per peccatum factus erat rebellis Deo Creatori ſuo, ac Diaboli mãcipium, in diuinam redeat amicitiam ac protectionem. Veruntamen nõ exiſtimandum eſt, quia Contritio peccata ante Confeſſionem deleat, idcirco quoque eam Pœnitentẽ ab obligatione ac præcepto ſtato tempore confitendi liberare ac ſoluere: præceptum enim Confeſſionis ſecretum quid eſt à Contritione, neque per Contritionem tolli poteſt: quinimò ipſa Contritio votum & propoſitum Confeſſionis in ſe includit, quo ſcilicet deſtituta, vera Contritio appellari non poteſt, veluti ſupra ſub finem capitis primi oſtendimus.

Secundus Cõtritionis effectus eſt, quod pœnam æternam, cui peccator ob peccatum mortale eſt obſtrictus, commutet in pœnam temporalem. Ad hoc intelligendũ notandum eſt, hominem, qui mortaliter delinquit, Deũ relinquere propter creaturam, atque ita grauiter ipſum Deum Creatorem offendere, qui bonum eſt infinitum; vnde non iniuſtè pœnam quoque meretur infinitam, æternam ſcilicet, nullo vnquam tem-

tempore finiendam; vnde & infinita dicitur quoad extensionem ac durationem. Iam Contritio id efficit, vt peccator relicta creatura, iterum reuertatur ad suum Creatorem. Pro satisfactione tamen admissi delicti, pœnam exigit à peccatore diuina iustitia: non quidem vt eam luat in inferno, quia in amicitiam redijt cum Deo; verùm in hac vita, aut in purgatorio, quamobrem etiam dicitur temporalis. Et hoc est pœnam æternam conmutare in temporalem, quæ in hac etiam vita paulatim deletur bonis operibus. Si quid verò de ea pœna residuum manet, id purgatorij flammis expiatur Quin & æternam pœnam constituit Deus ijs, qui in peccato mortali perseuerant ac moriuntur: his verò, qui pœnitentiam agunt ac resipiscunt, remittitur culpa, atque ita æterna pœna in temporalem commutatur.

Iam verò Cõtritione vnà cum culpa pœnam quoq; remitti æternam, apud omnes Theologos in confesso est, nec non à S. etiam Conc. Trident. sess. 6. c. 14. approbatũ. Causa hæc est, quia peccatum mortale per gratiam remittitur, quæ hominẽ facit esse filium Dei, & regni cœlestis hæredem, vnde æternæ pœnæ obnoxius esse non potest. Quòd verò à pœna tẽporali non sit exẽptus, omnino diuinæ iustitiæ conforme est,

quæ

quę propter iniuriam ipsi Deo illatam culpam sine pœna aliqua non remittit. Deinde etiam idē requirit diuina prouidentia, ad legitimum nimirum gubernationis ordinē conseruandam Si enim cum culpa simul & tota pœna relaxaretur, futurū esset, vt vnusquisque hac fretus impunitate, pręceps in peccatum rueret Hinc Dauidi pœnitentia ducto remissam quidem fuit peccatum, sed in pœnam tamen eiusdē peccati, morte illi filius ademptus fuit, 2. Reg. 12.

Tertius Contritionis effectus in hoc cōsistit, quòd pro ratione qualitatis ac quantitatis suæ, hanc ipsam quoq; pœnam temporalem diminuat; hoc est, quò maior ac intensior est Contritio, quoq; diutius durat, eò quoq; pœnam efficit minorem. Et quidem tam intensa potest esse Contritio, vt vniuersam simul pœnam penitus tollat, quod tamen rarò solet contingere Ratio hæc est, quia Cōtritio per gratiam, ex qua procedit, est meritoria: & quia pœnalis est, ob id quoq; est satisfactoria, atq; ita necessariò quoq; aliqua ex parte ipsam pœnam mitigat ac diminuit. Alios præterea effectus Contritio in ipso peccatore operatur, puta, reddit pœnitentē humilem, obedientē, mansuetum, ac tractabilem, quibus virtutibus ante Cōtritionem erat destitutus.

Qui nimò è cōtrario, quando adhuc erat

in peccato, superbus erat, arrogans, inobediens, ac prorsus intractabilis. Vbi notandum tamen est, non produci hos effectus, nisi vera fuerit ac perfecta Contritio. Hinc si quis de peccatis doleat, occasiones tamen mortaliter peccandi non amputet, odium ex animo non expellat, aut rem quæ alterius est non restituat, cùm restituere possit, nequaquam censendus est veram habere Contritionem: ideoque non solùm prędictos effectus nón consequitur; sed in peccatis constitutus, diuina gratia omnino manet exclusus.

Veram autem & vtilem hanc Contritionem quamplurimum adiuuãt ea quæ sequuntur, nimirum peccatorum præteritorum, & magnitudinis illorũ consideratio; metus diuini iudicij ac mortis, quæ tot tãtisq; modis derepente nobis potest superuenire, memoria; tertiò, spes perditam gratiam recuperandi, & perueniendi ad æternam felicitatem; quartò, si consideremus nos mortaliter peccãdo rebelles effici cõtra ipsum Deum, à quo omnis nostra salus dependet, versariq; in periculo faciendi iacturam omnium bonorum, quæcunq; vel in hac vita habemus, vel in futura exspectamus, nisi mediante Contritione tam potẽtis Domini irã placare studeamus; quintò demum, si infinitam illam Dei bonitatem

ad animum reuocemus, qua ſola, ſi vel nullis ab illo beneficijs eſſemus affecti, ſupra omnia à nobis meretur amari.

De Attritione.

CAPVT IV.

AD intelligendam Attritionis naturam, operæpretium eſt, vt primò, in quibus hæc à Contritione differat, diſpiciamus. Prima igitur eſt differentia, vt & in S. Concil. Trid. ſeſſ. 14 ca. 4. videre eſt, quòd Contritio, ſolo mediante Confeſſionis propoſito, etiam citra quoduis aliud Sacramentum gratiam impetret, & peccatum expungat; adeo vt ſi etiam è veſtigio poſt admiſſum peccatum pœnitens è viuis diſcedat, ad æternæ ſalutis domicilium, omni ſepoſito dubio, ſit migraturus: Attritio verò etiam ſi cum propoſito ac deſiderio Confeſſionis ſit coniuncta, non tamen ſufficiat ad remiſſionem peccatorum, neque valeat hominem ad recipiendam gratiam diſponere. Hinc eſt, vt ſi quis poſt admiſſum peccatum mortale moriatur, nullo realiter aut actualiter adhibito Sacramento, ſolius Attritionis munitus præſidio, nequaquam damnationem effugiat.

Secunda differentia hæc eſt, quod ad Pœnitentię Sacramẽtum, eiuſque fructus ritè

per

percipiendos, qualifcunque fufficiat Contritio, cum certum fit Pœnitentem per Contritionem ad recipiendam gratiam difponi, per Abfolutionem verò deinde ac Sacramentalem Confeffionem eandem gratiam crefcere ac augeri è contra verò cum Attritione longè aliter fefe res habet quippe cum non quælibet Attritio efficiat pœnitentem idoneum, ad dignè recipiendam Abfolutionem Sacramentalem, & ad confequendos effectus Pœnitentiæ, quemadmodum deinceps declarabitur. Deindé notandum item eft, Contritionem (veluti fupra oftenfum eft) varias requirere conditiones ac proprietates, quarum fi aliquæ deficiant, dicetur *Attritio*, vnde S Concil. Trident. citato loco Attritionem imperfectam appellat Contritionem, quæ hoc modo defcribi poteft, quòd fit *dolor quidam imperfectus de peccato, qui per fe ad conferendam gratiam, peccatumq́; delendum minimè eft fufficiens*. Et quia variæ ac multiplices funt Contritionis conditiones, varijfque modis poffunt deficere, varia quoque hinc Attritionis genera nafcuntur. Primum eft, quando Pœnitens dolet quidem ob admiffum peccatum, fedmagis ob damnū difpēdiumque aliquod temporale, quod ex peccato ad eum redundat; veluti ob infamiam, bonorum iacturam, morbos, pœnas Magiftratui feculari luendas, aliaque fimilia in-

commoda. Ac eiusmodi quidem Contritio diuersa est ab illa, cuius mentionem facit Concilium Trident quæ est motio quædam spiritus S. continens in se spem remissionis peccatorum, omni voluntate in posterum peccandi exclusa; ac virtualiter peccato aduersatur, vtpote quo offendatur Deus, vnde certa spes nascitur veniam peccati à Deo impetrandi. At nihil tale est in illa à nobis ante adducta attritione quæ tribus fieri modis potest: primò, vt Pœnitens ipse intelligat, sciatque se non dolere de peccato quatenus per id offenditur Deus, sed solummodò damni temporalis intuitu; & talis Attritio, etsi quidem mala non sit, tamen ad Pœnitentiæ Sacramentum percipiendum, consequendamque Sacramentalem absolutionem, pœnitentem idoneum reddere non potest: quinimò, quicunq; eiusmodi fretus Attritione ad Confessionem accedere præsumit, non tantum inutiliter confitetur, præceptoque Confessionis non satisfacit, sed peccat insuper; principaliter enim conueniebat eum dolere de peccato, ceu offensione contra Deum commissa.

Quòd verò secundariò etiam ob damna doleat temporalia, id nec malum est, nec dispositionem veram impedit ad legitimam Confessionem instituendam, aut Sacramentum absolutionis recipiendum. Secundò fieri

fieri poteſt, vt Pœnitens non animaduertat ſe non dolere de peccato ratione tantum damni temporalis, & non etiam ratione offenſæ Diuinæ Maieſtatis. Et tum ſciendum, eiuſmodi quoque Attritionem ſufficientem non eſſe, ad conferendam gratiam Sacramenti, quantumuis ſe pœnitens à peccato per incogitantiam conetur excuſare, aut in hoc triumphet, quod in bona & vera fide ad Confeſſionem accedat: ratio eſt, quòd qui non agit pœnitentiam de peccatis ſuis, hoc ipſo nomine, quod per ea diuina ſit offenſa Maieſtas, ſufficienti non eſt inſtructus Attritione.

Tertiò ſunt, quos ita de peccatis ſuis pœnitet: vt niſi peccatum cauſam eſſe cognoſcerent ſuorum incommmodorum ac damnorum, de eo non dolerent. Talis autem Pœnitentia non tantum inſufficiens eſt ad fructum Pœnitentiæ conſequendum, ſed ne Attritionis quidem meretur nuncupationem: quinimò mala eſt, taliſque pœnitens grauiter peccat, dum ſua ſibi damna cordi eſſe demonſtrat, non autem diuini Numinis offenſionem. Et hæc eſt doctrina Nauarri c. 1. n. 34. & Gregorij de Valentia de Contrit. diſp. 7. q. 8. punct. 1. & 2.

Alterum Attritionis genus eſt, quando quidem Pœnitens pœnitentia ducitur ob admiſſum peccatum, idque intuitu offenſi-

 onis,

onis, qua diuina læsa est Maiestas, execratur: sed tamen ita, vt non supra omnia mala ac incommoda illud ipsum detestetur; id est, vellet quidem se Deum non offendisse, non tamen præoptaret quoduis malorum genus sustinuisse potius, quàm eundem offendisse. Et hoc quidem est detestari malum, sed non supra omne detestabile. Iam verò hæc Attritio (quando scilicet Pœnitens peccati cum suis incommodis instituta comparatione intelligit, magis se detestari pecatum propter damna inde emergentia quam ob offensionem aut iniuriam ipsi Deo illatam) minimè sufficiens est ad absolutionem, eiusque gratiam obtinendam, veluti supra dictũ est, vbi de Attritione actum est. Quod si verò Pœnitens id non intelligat, quia inter peccatum & damna sua temporalia particularẽ nullam instituit comparationem cùm (vt supra demonstratum est) eam instituere non sit obligatus, non quidem peccat, si cum tali attritione accedat ad Confessionem, gratiam tamen & peccati remissionem non obtinebit, nisi quoque peccatum (vt ostensum est, cap. 2. dubio nono) supra quicquid est detestabile, execretur.

Sequitur tertia species Attritionis. quando scilicet Pœnitens dolet quidem de admissis peccatis, idque ob diuinam læsam Maiestatem, peccatumque etiam super omnia

nia alia mala deteſtatur, propoſitum tamen ab omni peccato mortali in poſterum abſtinendi non ſatis firmum habet. At talis Attritio neminem reddere poteſt idoneum ad Pœnitentiæ Sacramentum, eiuſque gratiam obtinendam; ſed peccat quicunque cum tali Attritione Sacramentalem recipit abſolutionem, præcepto Eccleſiæ non ſatiſfacit, irritamque prorſus reddit Confeſſionem: quod qui eiuſmodi propoſito à peccatis in poſterum abſtinendi eſt deſtitutus, manifeſto iudicio demonſtrat, ſe non ex toto corde ad Deum eſſe conuerſum. Eiuſcemodi Contritio, quam impœnitentium Attritionem nuncupat Caietanus, vt plurimum in Vſurarijs ac Concubinarijs conſpicitur, qui promittunt quidem deinceps à peccato abſtinere, media tamen ad eiuſmodi peccatorum fugam neceſſaria aſpernantur; quia carent propoſito, firmaque abſtinendi voluntate, velleitatem duntaxat aliquam (vt loquuntur Theologi) habentes. Hinc nulla eſt illorum Confeſſio, peccantque poſtulando abſolutionem. Confeſſarij quoque peccant, qui cum tali eos laborare defectu cognoſcant, abſolutionem nihilominus impertiuntur: iniuria ipſum Sacramentum afficientes, dum indignis illud ipſum communicant.

Quartò Attritio quædam eſt, quando

Pœnitens verè Contritionem non habet, ſed tamen eam habere deſiderat, quod deſiderium habendi Contritionem, appellatur Attritio. Sed neque hæc ſufficiens eſt, vt per eam habiles efficiamur, aut ad ipſum Sacramentum, aut ad Sacramenti fructus percipiendos; qui ſunt gratia iuſtificans, & remiſſio commiſſorum peccatorum: ratio eſt, quia peccatori, vt abſolutionem & Sacramenti gratiam conſequatur, neceſſe eſt de peccato pœnitere, illudque deteſtari: iam verò Pœnitentia rectè dici non poteſt, neque deſiderium deteſtandi peccatum nuncupari poteſt verè deteſtatio. Et ſic per conſequens relinquitur, eiuſmodi Attritionem eſſe inſufficientem.

Quintum Attritionis genus eſt eorum, qui cum plurima commiſerint peccata, non de omnibus, ſed de aliquibus tantùm dolēt. Hæc Attritio, (ſi modò meretur Attritionis nomen) tantum abeſt vt valeat ad peccatorum remiſſionem aut abſolutionem conſequendam, vt etiam peccet, qui per eiuſmodi Attritionem quærat abſolui. Qui enim abſoluitur, aut ab omnibus, aut à nullo abſoluitur: qui ergo non dolet de omnibus ſuis peccatis quorum recordatur, etiam non videtur ab omnibus velle abſolui, & ſic neque ab vno ſolo abſoluitur, vti ſupra dictum eſt, c.1.par.3.

Sextò

Sexto demum alia à S. Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. constituitur Attritio, quæ est dolor quidam de peccatis, qui vel ex cōsiderata peccati turpitudine, vel ex metu inferni nascitur. Et hæc quidem Attritio (quam Concilium imperfectam nuncupat Contritionem) etsi per se citra Sacramentum Pœnitentiæ non sit sufficiens ad iustificationem peccatoris: nihilominus tamen eundem ad gratiam mediante Pœnitentiæ Sacramento obtinendam disponit, modò exclusa peccandi voluntate peccatorum speret remissionem. Quæ S. Concilij sententia ita exaudienda est, etiamsi sciat & intelligat Pœnitens, se tantum attritum esse, veramque eam non esse Contritionem.

Duo verò hic veniunt consideranda. primum est, quod qui cessat à peccatis, deque ijs dolet solius gehennæ infernalis metu, ita vt si ab ea nihil sibi timere periculi necesse esset, à peccando quoque non esset cessaturus, hic non tantum gratiam nullam consequitur aut peccatorum remissionem, sed de nouo etiam peccat, neq; capax est absolutionis; propterea quod animus eius est in peccatis perseuerare, à quibus quidem abstinet, sed solius pœnæ metu. Alterum, de quo dubitandum quoque nullatenus est, illud est, tam ad recipiendam absolutionem Sacramentalem, quàm ad obtinendam pec-

carorum remiſſionem, Pœnitenti neceſſarium eſſe abſtinere à peccatis, cæteroquin enim non cenſebitur verè ad Deum eſſe conuerſus. Qui verò aut metu Inferni, aut peccati motus turpitudine de peccatis dolet, ab ijſdem abſtinet, & ſpem certam concipit de eorundem remiſſione conſequenda, hic virtualiter & implicitè quoque cenſetur de peccatis propter Deum dolere, prodeſtque etiam hæc Attritio pœnitenti, eumque ad impetrandam Sacramenti Pœnitentiæ gratiam diſponit, velut S. Con. citato loco atteſtatur.

Quærat hic aliquis: At quomodo mediante hac Attritione fit, vt Pœnitens gratiam obtineat, iuſtificetur, & peccata deleantur? Reſpondeo: quemadmodum vbi vera eſt Contritio cum voto Sacramenti coniuncta, ibi gratiam Deus peccatori infundit, eumque iuſtificat: ita etiam vbi hæc eſt diſpoſitio, aut Attritio cum ipſo Sacramento Pœnitentiæ reali coniuncta ibi quoque ſimiliter Deus gratiam peccatori infundit, ac eundem iuſtificat, idque ex iuſtitia, per Chriſti videlicet merita Quæ ſententia, etſi communi DD. conſenſu recepta ſit, maximeque probabilis & veritati conſentanea; nihilominus tamen ſatius conſultiusq; erit, vt quicunq; velit dici vera Pœnitentia duci peccatorum, de vera ſibi Contritione proſpiciat,

præ-

præcipuè si mortis periculo sit circumuentus.

Aliud vero hic sese dubium offert: An scilicet hæc Attritio per se citra Pœnitentiæ Sacramentum ad peccata venialia delenda sit sufficiens? Pro cuius dubij explicatione distinguendum est: aut enim in peccato mortali constitutus est homo, aut in statu gratiæ: si in peccato mortali est, non sufficit: si verò in statu est gratiæ, iam sufficiens erit huiusmodi Attritio: quotiescunque enim iustus aliquis, aut amicus Dei, venialium peccatorum Pœnitentia ducitur, cum voluntate non amplius ea committendi, & spe remissionis eorundem consequendæ, etsi ad eiusmodi pœnitentiam inferni tantum metu, & peccatorum turpitudine permoueatur: nihilominus tamen actum facit Pœnitentiæ, per quem peccata venialia tolluntur, de quibus pœnitet; præsertim cum actus ille proficiscatur ab homine iusto, & in gratia diuina constituto.

Secus verò est cum homine peccatis mortalibus obnoxio. Talis enim quia inimicus est Dei, peccatorum venialium non meretur remissionem.

De dubiis aliquibus, circa Attritionem occurrentibus.

CAPVT V.

PRimum dubium est, quod hic occurrit: Quomodo intelligi oporteat id, quod à Theologis asseritur, virtute nimirum Sacramenti ex Pœnitente attrito fieri Contritum? Cui breuiter sic potest responderi. Supra dictum est, Pœnitentiam, quæ ob perpetrata peccata concipitur, si conditiones omnes habeat requisitas, nuncupari Contritionem, estque talis, quando scilicet Pœnitens de peccatis dolet propter Deum, cum firmo non amplius peccandi, sed confitendi, & pro admissis peccatis satisfaciendi proposito: si vero aliquæ ex prædictis conditionibus deficiant, eam nuncupari Contritionem imperfectam, aut Attritionem. Dico ergo Pœnitenti, vt ex attrito fiat contritus, non satis esse qualibet Attritione instructum, ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere. V.g. Si quis de peccatis doleat, non quia per ea Deus offendatur, sed alterius cuiusquam damni intuitu, propter iacturam scilicet factam bonorum, vel honoris: aut si peccatum non supra quicquid detestabile est, detestetur; vel si præmunitus non sit propo-

posito

posito satis firmo, à peccatis in posterum desistendi; aut demum, si non ob omnia simul peccata doleat mortalia: tum certum est, eum, qui aliquo horum modorum attritus ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, ex attrito nequaquam fieri contritum, cum ex dictis Attritionis modis nullus sit, qui sufficientem reddat pœnitentem, eumue disponat ad recuperandam peccatorum remissionem, ad gratiam recipiendam, aut demum ad obtinendam absolutionem Sacramentalem, quemadmodum præcedenti capite dictum est.

Ille igitur ex attrito contritus fieri censendus est, qui cum tali Attritione ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, quæ sufficiens sit ad sacram absolutionem consequendam, qualem sextam illam esse capite 4 prolixè satis ostendimus, quando videlicet quis aut inferni metu, aut turpitudine peccati motus, dolet se Deum offendisse, cum voluntate deinceps non amplius peccandi, & certa spe peccatorum remissionis obtinendæ, vt ibidem S. Concilium Tridentinum asseuerat.

Ex his facilè intelligi est, quomodo Pœnitens ex attrito virtute Sacramenti fiat contritus, cum nihil id aliud sit, quam Pœnitentem ad S. Confessionem cum dicta attritione accedentem, virtute eiusdem, quam recipit, absolutionis Sacramentalis, à

Deo quoque remiſſionem peccatorum obtinere, gratiamque habitualem & iuſtificantem recuperare: qua peccator Pœnitens ad exemplum cuiuſcunque contriti iuſtificatur. Et hoc eſt, ex attrito fieri contritum. Suarez in tract. de Attritione, diſp 5. ſect. 3. ſub finem, præter dictos, alios duos modos conſtituit, quibus ex attrito quis fiat contritus: quorum primus eſt, quando Pœnitens dolorem ſuum mutat, & ex imperfecto perfectum facit. Secundus eſt modus, ſi dolori amorem inſuper, quo perficiatur, coniungat. Verum in hiſce duobus modis, attritus non virtute Sacramenti fit contritus, (quemadmodum in propoſito dubio quæritur) propterea, quod etiam extra Sacramentum, ſcilicet ex attrito contritus aliquis fieri rectè poſſit.

Secundum dubium tale eſt: An Pœnitenti attrito ad condignè obtinendam abſolutionem Sacramentalem neceſſe ſit, exiſtimare Attritionem ſuam eſſe Contritionem? Partem affirmantem tuetur Dominicus à Soto: aliter enim (inquit ille) peccaret Pœnitens. Cui ſententiæ multi præterea alij ſuffragantur. Alij contrarium tenent, dicuntque aliquam Attritionem quatenus Attritionem, ſufficere Pœnitenti, vt rectè confiteri & abſolutionem obtinere poſſit, illam nimirum, quam conſtituit Concil. Trident.

ſeſſ.

seff. 14. cap 4. quam etiam laudat Dominicus à Soto, dicitque eam in Sacramento Pœnitentiæ peccatorem ad gratiam disponere. Quo concesso necessario sequitur, pœnitentem, qui talem habeat attritionem, ad Pœnitentiæ Sacramentum rectè posse accedere, & in illo ipso gratiam obtinere, quemadmodum supra dictum est. Iam verò non esse necessarium, vt Pœnitens attritionem suam contritionem esse putet, ex sequentibus rationibus satis euadit manifestum. Quarum prima hæc est: Si præceptum extaret, quod sine Contritione neminem ad Sacramentum Pœnitentiæ iuberet accedere, iam necesse esset homini, (vt à præcepti istius transgressione sese excusaret) existimare suam Attritionem esse Contritionem. At verò nullum eiusmodi extat præceptum: Ergo nec tali opinione opus habet. Præterea Pœnitentiæ Sacramentum, sicut & S. Baptismi, Sacramentum est mortuorum à Christo ad delenda peccata institutum; ergo rectè ad illud citra Contritionem acceditur, sufficitque illi sola Attritio, vt per gratiam Sacramenti denuò viuificetur.

Demum hæc opinio, qua Attritionem putamus Contritionem, non reddit meliorem Contritionem. Si ergo Attritio, vt Attritio, non sufficit, nisi eam etiam existimemus esse Contritionem, non etiam sufficiet,

si eam Contritionem esse existimemus; cùm ab hac opinione nulla prorsus illi accedat perfectio. Suarez de Pœnit. disp. 20 sect. 1. assert. 3. pro hac sententia multas contra Dominicum à Soto adducit rationes, nobis tamen paucula hæ, quas attulimus, sufficiant.

Tertiò quæritur: Si Pœnitens per solam Attritionem non recipit gratiam, quomodo citra peccatum potest ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere? Respondeo: Etsi sola Attritione Pœnitens gratiam non consequatur, neque remissionem peccatorum; nihilominus tamen, quia est dispositio sufficiens ob obtinendam gratiam in Sacramento, hinc cum bona conscientia, & citra peccatum Pœnitens ad Pœnitentiæ Sacramentum potest accedere, & obtinere absolutionem.

Quartum dubium est: Si in hisce, de quibus dictum est hactenus, aut deinceps dicetur, Pœnitens à Confessario suo dissentiat, ac contrariam teneat sententiam, Verb. g. Pœnitens secutus aliquos Doctores, contractum aliquem licitum esse existimat, quem è contrario Confessarius ex sententia aliorum Doctorum putet esse illicitum: quæritur, inquam, hîc an obligatus sit Pœnitens Confessarij sui sequi sententiam, nec ne? Respondeo: Si probabilis est opinio pœnitentis,

tentis, non obligatur; non enim peccat Pœnitens illam opinionem sectando, & per consequens rectè postulare poterit absolutionem, quam impertiri illi tenetur Confessarius.

LIBER SECVNDVS,

DE CONFESSIONE SACRAmentali.

Quid sit Confessio.

CAPVT I.

CONfessio *sacramentalis*, de qua hîc agemus, nihil est aliud, quàm *secreta peccatoris manifestatio de suis peccatis, coram proprio Sacerdote, seipsum accusando, vt ab illis sacramentaliter absoluatur.* Huic definitioni, quoad substantiam, conformes sunt, quotquot Confessionis definitiones à Theologis assignantur, licet in verbis aliqua inueniatur varietas. Desumpta est autem hæc nostra definitio ex S. Thoma in Addit. qu. 7. art. 1. Item ex Nauarro cap. 2. num. 1. Quæ quo rectius intelligatur, singulas deinceps eius partes examinabimus.

Manifestatio dicitur, quia necesse est, vt actu aliquo exteriore Pœnitens Confessario peccata

cata sua manifestet, alioquin enim non posset accipere formam debitæ absolutionis, materia nimirum deficiente: veluti si quis stans coram Confessario nullum omnino verbum exprimat, talis non rectè diceretur confiteri, cùm ibi Pœnitens sua peccata non manifestet.

Hæc verò manifestatio varijs modis fieri potest. Primò, voce ac verbis, qui modus necessariò tenendus est illi, qui sermonis est compos, ac à Confessario intelligi potest. Ita existimat S. Thomas in Addit. q. 9 art. 3. & est communis Theologorum sententia. Quin etiam non desunt, qui præcepto ad id obligari pœnitentem existiment; quanquam Suarez disp. 21 sect. 3. §. 4 de Pœnit. nusquam illud præceptum extare affirmet. Vt vt sit, nemini, qui loqui potest, aliter confiteri permittitur ex communi Ecclesiæ consuetudine. At quæret hîc aliquis, cuiusmodi peccatum committat, qui cùm loqui possit, & à Confessario intelligi, nihilominus tamen per signa tantùm mutorum more confitetur. Aliqui existimant eos peccare mortaliter, cúm peccent contra communem Ecclesiæ consuetudinem. Suarez citato loco triplicem affert responsionem. Primò dicit, grauem culpam esse in genere suo. Secundò, ex leuitate materiæ posse esse peccatum veniale, si nimirum non omnia peccata, sed

vnum

vnum aut alterum tantùm aliter quàm viua voce manifestetur Tertiò ob iustam causam dicit id fieri posse citra peccatum, si nimirum insignis aliqua obstet difficultas, aut citra maximam verecundiam eiusmodi Confessio viua voce fieri non possit. Credendum enim est in tali casu communem consuetudinem non ita strictè obligare. Eandem sententiam amplectitur Melchior Canus pa. 5. de pœnit. cui adiungi potest, quòd mortaliter peccaturus esset, si quis id in contemptum faciat Confessionis, aut si Pœnitens per signa aliqua suorum peccatorum sufficienter exprimere non possit, cùm scilicet manca & mutilata futura sit Confessio

Secundò fieri potest manifestatio per signa, quem manifestationis modum seruare tenentur ij, qui loqui non possunt, vt muti aut alio quodam graui morbo impediti. Ita Caietanus sentit verb. Confess. cond. 11. & cum illo Soto distin. 18. quæst. 2. articul 6. nec non Canus de Pœnit par 6.

Tertiò per interpretem fieri potest manifestatio, vt si Confessarius non calleat linguam Pœnitentis, quæ vera & Sacramentalis est censenda Confessio, modò præsens sit Pœnitens, & quemadmodum notat Soto, ea quæ ab interprete dicuntur, rata habeat: quamuis nemo obligatus sit hoc modo confiteri, cùm nemo teneatur peccata sua

inter-

interpreti, aut alij, præterquam soli Sacerdoti reuelare. Hinc est quòd S. Concil. Trident sess. 14. cap. 5. & can. 6. vbi de hoc modo confitendi agit, secretum eum dicit, vt qui fiat coram solo Sacerdote. Idem asseueratur in illo Capitulo, *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnit. & remiss. Notandum autem est, quando dicitur hîc neminem obligari ad confitendum per interpretem, subintelligendum esse, ex præcepto Ecclesiæ, id est, Ecclesia suis præceptis non cogit nos per interpretem confiteri. An verò ex alio titulo per interpretem confiteri teneamur, alia quæstio est, quam infra cap. 2. cond. 11. pertractabimus.

Quartò fieri potest manifestatio per scripturam, quo modo confiteri nemini permittitur, etiam præsenti Confessario, si confiteri viua voce possit, nisi euidēs aliqua causa subsit, quemadmodum dictum est, vbi de signis egimus. Et tum necesse est, inquit Soto, vt pœnitens Confessario peccata legenti signis se ea commisisse significet. Quæ Dominici Soto admonitio quidem bona est, at non tamen necessaria; hoc ipso enim, quod pœnitens accusationem suam exhibet per scripturam, sufficienter innuit ea sua esse peccata.

Occurrit hîc tale dubium. Si quis per tertiam aliquam personam, aut per litteras

scrip-

ſcriptas Confeſſario abſenti peccata ſua manifeſtari procuret, ſitne talis cenſenda vera Confeſſio, quæ abſolutionem mereatur? Reſpondeo, non eſſe debitam Confeſsionem. quia nimirum non ſit certus Pœnitentis actus: & ſi etiam vera eſſet Confeſsio, nihilominus tamen hoc modo confitenti non eſſet Sacramentalis danda Abſolutio; manifeſtationem enim peccati veram & certam eſſe oportet, ideoque neceſſario Pœnitentis præſentia opus eſt. Quando enim per tertiam aliquam perſonam peccata Confeſſario mittuntur manifeſtanda, quis ſecurum reddet Confeſſarium, tertiam hanc perſonam nihil agere dolosè, aut ex defectu memoriæ aliud pro alio recenſere? Neque valet Confeſsio, quæ fit per litteras. Confeſſarius enim quo tempore litteras legit, neſcit an fortè mortuus ſit Pœnitēs, aut mutauerit conſilium? ſi denouo peccauerit, aut firmum habeat propoſitum in poſterum non amplius peccandi, atque ideo nec citra ſacrilegij diſcrimen illum poteſt abſoluere. Adde porrò, quod in hoc tribunali iudicem agat Confeſſarius: iudex verò ferre ſententiam nequit, niſi & cauſam examinet, in quo examine reus requiritur, qui ſe ſiſtat coram Iudice.

Cùm præſenti Libello ſupremam manum admouiſſem, peropportunè accidit, vt antequam

quam typis daretur excudendus, à sanctissimo nostro Papa Clemente VIII. non sine summo meo gaudio, diuulgaretur decretum, quo nostra confirmatur opinio; contraria verò, ceu falsa, temeraria, ac scandalosa, non immeritò condemnatur. Summa verò decreti hæc est: *Hanc propositionem, scilicet, licere per literas seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam dãnauit ac prohibuit, præcepitq; ne deinceps ista propositio publicis priuatisq; lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neue vnquam in aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quòd si quis illã docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputatiuè tractauerit, (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directè, vel indirectè diduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & à qua non possit præterquam in articulo mortis ab alio, etiam S. R. E. maiore Pœnitentiario, nisi à, pro tempore existente Romano Pontifice absolui, alijs etiam pœnis arbitrio infligẽdis subiaceat. Die vigesima Iunij, 1603.*

Secunda particula definitionis est, *secreta*. Secreta verò dicitur Confessio, non quòd publica Confessio vera non sit Confessio, aut publicè confiteri Pœnitens prohibeatur, si sic illi videatur commodum; fieri enim

hoc rectè poteſt, niſi fortè periculum ſcandali aut infamiæ ſubſit, quemadmodum infra in conditione vndecima fuſius explicabitur; non, inquam, ideo ſecreta dicitur Confeſſio, verùm quia communiter ſecretò fiat, nullo ſcilicet alio interueniente.

Altera definitionis pars eſt, *de peccatis ſuis*. *Peccatū* dicitur, quòd in Confeſſione confiteri debeamus non virtutes aut bona opera, ſed peccata, quæ ſunt Confeſſionis materia; non inquam, virtutes; nec mirum hoc, cùm ideo confiteamur, vt abſoluamur. Iam verò à bonis operibus nemo quærit abſolui, ſed tantùm à peccatis, eoque duntaxat peccata confitenda ſunt, & non bona opera. Sunt qui hoc modo Confeſſionem exordiantur: Neminem occidi. Non furatus ſum: relictis alijs mea curo. Id eſt culpam ſuam non manifeſtare, ſed excuſare. Talis erat Phariſæi illius Confeſsio, qui ſimulatque templum fuit ingreſſus, hæc apud ſe orabat. (Lucæ 18.) *Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, iniuſti, adulteri: velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in Sabbatho: decimas do omnium quæ poſſideo.* Chriſtus verò reprehendit eum ob ſuperbiam, Publicanum verò laudauit, qui ſe peccatorem eſſe fatebatur, vnde *hic deſcendit iuſtificatus in domū ſuam*, Phariſæus verò minimè. Peccata igitur quæ fecit, recenſere debet Pœnitens, & non illa quæ non

fecit

fecit cùm nihil hoc aliud sit, quàm tempus perdere. Neque tamen ideo iubetur Pœnitens nullum omnino de virtutibus, bonisq́; quæ facit operibus, cum Confessario instituere sermonem, si nimirum id fiat, vt de modo rectè ea faciendi instruatur, neque in Diaboli fraudes ac laqueos incidat. Quod enim dicitur ea non esse confitenda, id ita intelligendum est quia scilicet non sunt materia Confessionis.

Deinde dicitur, *peccatis suis*, quia in Confessione non sunt aliorum reuelanda peccata. In quo vt plurimum peccare solent Seruifamiliâs, qui in ipso statim Confessionis vestibulo, Dominorum suorum defectus percensent; similiter & Mariti suarum Vxorum, & vice versa hæ illorum detegunt vitia. Quæ sanè non est bona Confessio: missis enim aliorum peccatis, sua duntaxat quisque debet reuelare. An verò eius, qui in peccatis nobis socius extitit, etiam aliquando peccata rectè reuelari possint, infra sub finem capitis quinti declarabitur. Notandum tamen hîc est, quod si vitiosa eiusmodi alienorum peccatorum reuelatio nascatur ex simplicitate, leuius esse peccatum: sin verò hinc procedat, quòd minus accuratè quis suam conscientiam examinauerit, ideoque dicat quicquid in buccam venit, maius subesse periculum, cùm graue peccatum sit, alio-

rum

rum peccatum recensendo, sua propria vel omittere, vel non eo quo oportet modò recensere.

Sequuntur in definitione hæc verba, *coram proprio Sacerdote*. Sacerdoti faciendam esse Confessionem, statuitur in Capite: *Omnes vtriusque sexus*, id quod subinde à Concil. Trident. sess. 14 cap. 6. can. 10. repetitur, vnde Confessio Laico vel Clerico non Sacerdoti facta, non est censenda Sacramentalis, neque præceptum Ecclesiæ adimplet, neque necessaria est, vt benè annotat Nauarrus cap. 2 nu. 4. cap. 21. nu. 41. Ideo enim quis confitetur Sacramentaliter, vt absolutionem consequatur Sacramentalem, quæ prætterquam à Sacerdote à nemine haberi potest.

Si quis igitur confiteatur Laico, peccabitne? inquies. Respondeo: Si quis citra causam confiteatur alicui, qui non sit Sacerdos, idq; ex leuitate aliqua, aut cum intentione obtinendi absolutionem, dubium non est quin peccet, nisi fortè propter ignorantiam excusetur. Si quis autem ex humilitate, vel consilij, consolationisue accipiendæ causa Laico, aut alioquin alicui non Sacerdoti confiteatur, non peccat: eiusmodi tamen Confessio de nouo facienda est Sacerdoti, quia nec valida est, nec Sacramentalis, nec præcepto Ecclesiæ satisfacit. Si quæras ex me, vtrũ melius sit, si in articulo mortis copia non

sit

ſit Sacerdotis, confiteri Laico, an verò Deo? Reſpondeo: Quòd ſi conſilio aut ope infirmo ſit opus, ad præſtandam ſcilicet alicui reſtitutionem, aut bonorum, aut famæ; conſultius erit Laico confiteri, aut, vt rectius dicam, cum illo conferre, qui conſilium illi aliquod vel opem præſtare poſsit. Sin verò nihil tale ſit, ſatius erit ad Deum Creatorem ſuum conuerti, ei confiteri, ſuorumque peccatorum remiſsionem flagitare: vt rectè annotat Nauarrus de Pœnit. cap. 1. diſt. 6. nu. 72. & Suarez de confeſſ. diſp. 23. ſect. 1. in fine.

Altera definitionis parte dicitur, *ſemetipſum accuſando*. Vbi notandum eſt Pœnitentię Sacramentum quoddam veluti eſſe tribunal, ex quo fertur ſententia abſolutionis vel condemnationis. Iudicis partes agit Confeſſarius, Pœnitens rei & actoris pariter vicem ſuſtinet, ideoque in Confeſsione ſemetipſum tenetur accuſare. Hinc grauiter delinquunt, quicunque in Confeſsione vel ſemetipſos laudant, vel peccata ſua per modum hiſtoriæ recenſent, citra omnem dolorem aut recognitionem culpæ. Alij ceu Adamum & Euam primæuos parentes imitati, apertè ſeſe excuſant, omnem omnino in alios peccatorum ſuorum culpam reijcientes, modò in Diabolum, modo in fortunam ac ſortem ſuam, modò in ſocios ſuos.

Et

Et quod peius eſt, quidam etiam in ipſum Deum culpam transferre non erubeſcunt, quod hominis eſt impij & ſcelerati, cùm nullum aliunde, quàm ex propria voluntate naſcatur peccatum.

In Confeſſione igitur, Pœnitentis eſt culpam ſuam agnoſcere, ſibique ipſi omnem culpam ad filij prodigi exemplum imputare, (Lucæ 15.) qui nulla adhibita excuſatione, *Peccaui*, dicebat, *in cœlum*. Item Dauidis, qui à Propheta Nathan ob adulterium cum homicidio coniunctum reprehenſus, non alijs peccati culpam imputauit, ſed cum intimo dolore peccatum ſuum confeſſus eſt, dicendo: *Peccaui Domino* 2. Reg. 12.

Demum vltimò in hac definitione conſideranda veniunt illa verba: *Vt ab illis Sacramentaliter abſoluatur*. Abſolutio enim finis eſt Confeſſionis Sacramentalis, vnde ſi Pœnitens in Confeſſione ſua alium ſibi finem prætendat, non cenſendus eſt facere Sacramentalem Confeſſionem. Exempli gratia: ſi quis confiteatur vt Confeſſarium ad coniurationem aliquam pertrahat, aut in ſiniſtram aliquam opinionem aut errorem inducat, idque in Confeſſione, perſuadens ſibi ſcilicet, quòd aliter id fieri æquè commodè non poſſit. Qui error eſt ſanè non leuis, cùm eiuſmodi Confeſſio neque Sacramentalis ſit, neque ſub ſigillo.

De conditionibus bonæ Confeſsionis.

CAPVT II.

D. Thomas in 4. ſent diſt. 17. quæſt.3. art.4 S. Antoninus part.3 tit.14. ca.1. & 2. Caietanus in Summa ſua, Nauarrus cap. 2. nu.5. alijque Auctores graues tam antiqui quàm moderni, ſedecim enumerant conditiones in bona Confeſſione requiſitas, quæ quatuor hiſce verſiculis comprehenduntur:

Sit Simplex, Humilis, Confeſſio Pura, Fidelis,
Atque Frequens, Nuda, Diſcreta, Libens, Verecunda,

Integra, Secreta, & Lachrymabilis, Accelerata,
Fortis & Accuſans, & ſit parêre parata.

Prædictas conditiones quàm poſſum breuiſſimè ac dilucidiſſimè declarabo. Et quanquam non omnes tales ſint, vt neceſſariò requirantur, aut omiſſæ Confeſſionem infirment; nihilominus tamen, quoniam ex ſingulis illarum non exigua ad Pœnitentem redundat vtilitas, operæpretium duxi, omnes haſce conditiones ordine explicare, vt ij, qui ſalutari ac cœleſti hac medicina frequenter refici conſueuerunt, omnibus Confeſsionis proprietatibus probè cognitis ac per-

perſpectis, maiorem ex ea vtilitatem conſequantur.

I. Simplex.

PRimo, ſimplicem oportet eſſe confeſsionem. Simplicem verò Confeſsionem illam eſſe dicit S. Thomas diſt. 17. q. 3. quæ nec paucioribus, nec pluribus conſtet verbis quàm oporteat. Et rectè quidem: Quid enim quatuor illi verbis opus eſt, qui tribus verbis commodè peccatum ſuum Cõfeſſario poteſt explicare? Alij ſimplicem Cõfeſsionem eam eſſe dicunt, quæ clara ſit ac dilucida, debet enim Pœnitens ita clarè ac diſtinctè ſua peccata cõfiteri, vt facilè quodlibet peccatum percipere, deque eius grauitate rectè iudicare poſsit Confeſſarius. In ſumma allaborandum eſt Pœnitenti, vt Cõfeſſario ita clarè ac perſpicuè ſua peccata manifeſtet, quàm ſcit illa Deo eſſe manifeſta. Hinc peccare grauiter eos concludit Caietanus in Sum. Confeſſ. qui tali artificio peccata ſua norunt recenſere, vt grauitatem eorum Confeſſarius ponderare, aut dignoſcere non poſsit. Quibus adiungendus Nauarrus cap. 2. nu. 5. & 6. aſſerit eos, qui cùm nimium edendo, bibendo, loquendo, ludendo, iocando, alios irridendo, ſimilibuſque rebus mortaliter peccauerint, circumſtantias peccatum aggrauantes non explicantes,

ſed generaliter tantùm dicunt, nimium ſe ediſſe, bibiſſe, iocatos eſſe &c. Qui omnes exceſſus, cùm vt plurimum ſoleant eſſe veniales, talesque etiam à Confeſſario propter eiuſmodi circumſtantiarum ſuppreſſionem habeantur atque exiſtimentur, neceſſariò relinquitur opus eſſe pœnitenti, vt cum ipſis peccatis eorundem etiam circumſtantias ſimul explicet, quibus illa aggrauantur, & ex venialibus mortalia fiunt: vt ſi quis, verbi gratia, nimium edendo aut bibendo detrimentum aliquod notabile ſit paſſus, ſiue circa ſalutem, ſiue circa alia bona corporalia, famam, honorem; item ſi iocus luſusq; cum notabili aliqua diuini nominis irreuerentia aut proximi damno fuerit coniunctus, quod tamen (vt idem affirmat Nauarrus) neceſſarium non eſt, ſi ſciat pœnitens ex perſonæ ſuæ qualitate, & confitendi modo, facilè Confeſſarium peccatorum ſuorum grauitatem intelligere poſſe.

2. Humilis.

Secunda Confeſſionis conditio eſt Humilitas. Cùm enim ſuperbia, dicente S. Scriptura Eccl. 10. *ſit initium omnis peccati*, neceſſarium eſt, vt ad illud ipſum delendum, remiſſionemq; ac veniam impetrandã, Confeſſionem comitetur Humilitas; quæ non tantum in exteriore illa genuum flexione debet cõ-

ſiſtere

ſiſtere, qua prouolutus ad Confeſſarij genua pœnitens tanquam reus miſericordiam implorat; ſed potius in interiore animi affectu ac demiſſione, qua ſe indignum pœnitens peccatorum venia iudicat, omnique caſtigatione digniſſimum, propter tot ac tantas contra Dominum ac benefactorem ſuum tam benignum commiſſas offenſiones. Vtriuſque humilitatis manifeſtiſſimum exemplum bonus ille nobis Publicanus præbuit, de quo S. Lucas cap.18. dicit, quòd à lõgè ſtans, ex humilitate mera, *nolebat nec oculos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.*

3 Pura.

Tertiò requiritur, vt pura ſit Confeſſio. Poteſt autem non pura eſſe Confeſſio duobus modis. Primò, ſi pœnitens non habeat rectam ac puram inter confitendum intentionem, conſequendæ abſolutionis ac remiſſionis peccatorum, quo reconciliari poſsit cum Deo, & in ſtatu gratiæ perſiſtere. In hac conditione pauperes plerumq; peccant, qui ſubinde ad Confeſsionem accedũt, hoc præcipuè fine, vt Confeſſario neceſsitates ſuas corporales exponentes, Eleemoſynam aliquam conſequantur: alij vt in negotijs ſuis adiuuentur potius, quàm vt confiteantur, Confeſſarium adeunt. Et hi omnes

non faciunt Confeſsionem omnino puram. Secundò, pura non cenſetur Confeſsio, cui permiſcentur res impertinentes, & à Confeſsione alienæ. Inueniuntur enim, qui vix ad genua prouoluti, ſubitò de rebus nouis incipiunt diſcurrere, & modò huius, modò illius facta commemorare. Quæ res mala eſt, & à Confeſſario minimè toleranda, cùm pœnitentes ſic à rebus ad Confeſsionem pertinentibus diſtrahantur. Et quid mirum, ſi poſtea peccatorum ſuorum non recordentur? Omitti etiam debet illa quarundam fœminarum præpoſtera conſuetudo, quæ in ipſo ſtatim Confeſsionis exordio à Confeſſario quærunt, quo in ſtatu res ſuæ verſentur? Quin potius omnia benè ſe habere præſupponentes, ipſam exordiantur Confeſsionem. Alij in commemorandis peccatis ſuis longas & à propoſito alienas nonnunquam pertexunt hiſtorias, quibus non ſolum impura redditur Confeſsio, ſed plurimum etiam temporis perit ipſi Confeſſario, alijq; pœnitentes impediuntur. Verum quidem eſt, rectè aliquando integram hiſtoriam pro peccati explicatione narrari poſſe; ſed reprehenditur tantùm abuſus, qui tunc committitur, quando citra illarum hiſtoriarum narrationē, rectè peccati natura poteſt intelligi.

4. Fidelis.

Quartò, Confeſsionem fidelem eſſe neceſſe

esse est, id est, veram & ab omni mendacio alienam. Quam conditionem necessariam esse, vel hinc duntaxat manifestum euadit. Si enim in mundanis iudicijs, vt rectè peragantur, vera testimonia & ab omni falsitate remota, in factorum narrationibus adhiberi necesse est, etiamsi tendant in præiudicium rei: quanto magis pro spirituali hoc tribunali veritatem proferri necesse est, in quo res agitantur multò maioris momenti, salus nimirum animæ, vbi pœnitens & reus est, & testis in propria causa, semperque in ipsius redundat vtilitatem, si veritatem dicat? Iam verò hæc conditio requirit, vt pœnitens non solùm nihil neget eorum quæ commisit; sed vt neque dicat, se fecisse quod non fecerit. Qua quidem in re facilè fieri potest vt decipiantur simpliciores, qui quàm rectißimè se facere existimant, si peccatorum, quæ non admiserunt, se accusent, aut si plus quam fecerint dicant. Quæ res erroris potius quàm humilitatis meretur nuncupationem.

Deinde quoque requirit hæc conditio, vt pœnitens id, quod certum est non tanquam dubium proponat; nec id, quod dubium est, ceu compertum afferat: sed certum, ceu certum; & dubiũ, ceu dubium proponat. Ita demum vera erit Confeßio. Sciendum autem est, si quis aliquid confiteatur de quo dubitatur, sit peccatum nec ne, adiungendum

esse aliquid, quod certò constet esse peccatum, vt scilicet simplex & pura sit absolutio, & non conditionalis. Hinc perperam faciunt, qui hoc modo confitentur: Culpā meā agnosco, si murmuraui, si mendaciū locutus sum, dū nō simpliciter se peccasse affirmant.

Præterea vt vera sit Confeßio, necesse est, vt à Pœnitente adiungantur etiam Circumstantiæ, quibus aliquando vel omnino peccata tollūtur, vel certè plurimū minuuntur. Verbi gratia: Si quis in die festo Missā non audierit, aut morbo impeditus, aut ne solus relinquatur infirmus, si simpliciter dicat se Missā non audiuisse in die festo, iudicabit eū mortaliter peccasse Confessarius, quamuis mortaliter non peccauerit. Necessarium igitur Pœnitenti, causam cur Missam non audierit, adiungere. At Confessarij (fortè inquies) est causam inquirere. Respondeo, non hîc de Confessarij, sed Pœnitentis agi officio, qui vti peccatum confitetur, ita etiam adiungere debet circumstantias, quas si ille non expresserit, tum demum Confessarij officiū est, easdem ab illo expiscari atq; elicere.

Dubium hîc occurrit, quod operæpretium est ipsos etiam Pœnitentes cognoscere, ne videlicet peccatum, quod per se est veniale, propter conscientiam erroneam, ijs in mortale commutetur, estque huiusmodi: An videlicet mendacium in Confeßione adductum.

ctum semper peccatum sit mortale, necne? Sunt qui putent, quoduis etiam leue mendacium peccatum esse mortale, veluti si quis neget veniale aliquod peccatum à se commissum. Ratione mouentur ista: Quēadmodum enim mendacium veniale iuramento confirmatum, fit peccatum mortale ratione iuramenti: ita etiam mendacium veniale in Confessione adductum, mortale fieri putant respectu Sacramenti, cui hoc ipso fit iniuria. Caietanus quidem eam sententiam amplectitur in 2.2. quæst. 69. ar. 9. ad 3. item in Summa, verb. Confess. cond. 4. Alij tamen eam minimè sequendam esse arbitrantur, refutaturque à Dominico Soto in 4. Sent. dist 18. q 2 art 4.

Primò itaque assero: Graue mendacium in Confessione, mortale & graue esse peccatum; veluti si quis neget se perpetrasse peccatum mortale quod tamen reipsa perpetrauerit; aut fecisse se affirmet, quod tamen non fecerit. Cum enim peccatum mortale materia sit Confessionis, in Confessione etiam exprimatur necesse est, idque secundum rei veritatem; alioquin enim deciperetur Confessarius, qui vicem gerit Christi, & falsificaretur Sacramenti materia, quod esset Sacrilegium. Veruntamen, si quis nullius sibi peccati mortalis conscius, peccatum mortale se perpetrasse affirmaret, idq; non ani-

mo decipiendi Confessarium faceret, sed ex errore quodam, putans rectè se facere, dum de pluribus peccatis se accusat quàm admisit, hîc mortaliter nequaquam peccare putandus est, quippe qui per simplicitatem rectè possit excusari.

Secundò dico: Mendacium dicere in Cõfessione de rebus ad materiam Confessionis non pertinentibus, veniale peccatum est, grauius tamen quàm si extra eiusmodi actum illum Sacramentalem id fieret, & hoc propter indecentiam.

Tertiò dico: Mendacium leue dicere de rebus etiam ad Confessionem pertinentibus, graue quidem peccatum est, attamen non mortale; veluti si quis neget peccatum veniale, quod tamen admisisset; aut affirmet se peccatum veniale fecisse, quod tamen non fecerit. Ratio hæc est. Veniale enim peccatum, nec est materia necessaria confessionis, cùm omitti etiam rectè possit; nec est tota materia Confessionis, cùm præter peccata venialia, alia plura in Confessione cum veritate peccata exprimantur, ex quibus materia sufficiens præbetur Absolutioni.

Dico quartò: Si pœnitens nullum alium confiteretur peccatum præter illud veniale falsum, iam peccatum erit mortale: non enim vlla ibi vera esset materia, sed tota fal-

sa, vnde ipsi Sacramento iniuria inferretur. Nauarrus in suo Manuali cap. 21. num. 37. & 38. vult idem intelligendum esse de peccato mortali aliâs legitimè confesso, id est: Non peccare putat mortaliter, qui in Confessione negat se admisisse peccatum mortale, quod aliâs legitimè sit confessus, idque ob rationem supra adductam, quia scilicet non est materia necessaria Confessionis. Ad rationem à Caietano allatam respondetur, causam, cur leue mendacium iuramento confirmatum mortale peccatum fiat, hanc esse, quod in eo Deus, qui summa est veritas, vocetur ad testimonium perhibendum falsitati; vnde eadem illi planè infertur iniuria, quæ inferretur, si vel grauissimum esset mendacium: Iuramentum etiam quod est res sacra, totum violatur: at si quis mendacium dicat circa peccatum aliquod veniale, non ob id continuò violat Sacramentum Confessionis, cùm ad impetrandam absolutionē sufficiens relinquatur in alijs peccatis materia, quæ quis cum veritate confitetur. De hac materia prolixè disputat Suarez de Confess. disp. 22. sect. 10.

5. Frequens.

Vt frequens sit Confessio, quemadmodum quinta hac conditione requiritur, nullum omnino extat præceptum; sed tamen

rationi id videtur quàm maximè esse consentaneum. Cùm enim Confeſsio peccatorum ſit medicina, conuenientiſsimum certè eſſe videtur, vt qui frequenter peccat, frequenter etiam confiteatur. Quatuor hîc quæſtiones circa materiam de frequenti Confeſsione tractari non incommodè poſſent. Primò, quoties in anno vnuſquiſque confiteri ſit obligatus: ſecundò, anne vtilis ſit frequens Confeſsio? tertiò, vtrum bonum ſit ſæpius grauiora aliqua peccata confiteri? quartò demum, ſitne conſultum multoties Confeſsionem generalem inſtituere? Verùm, ne in longum nimis hoc caput extendatur, alijs quatuor diſtinctis capitibus hiſce de rebus diſputationem inſtituemus.

6. Nuda.

Sexta Confeſsionis conditio eſt, vt nuda ſit. Nudam verò Confeſsionem nuncupat Caietanus in Sum. Verb. Conf. condit. 6. quæ non eſt veſtita coloribus, aut iocis peccati grauitatem cooperientibus, & multò minus obſcurantibus. Si quis eo modo confiteatur, perinde eſt ac ſi non confiteretur; nec aliud quærit Diabolus, quando efficere non poteſt vt omnino Confeſsio intermittatur, quàm vt ne debito fiat modo. Cùm enim ad hoc à Christo Confeſsio ſit inſtituta, vt

peccata

peccata Confessario declarentur; Diabolus è contrario nihil æquè allaborat, quàm vt ea varijs technis ac coloribus à Pœnitente inuoluantur ac contegantur. Clara igitur ac manifesta debet esse Confessio, adeo vt si Confessarium pœnitens ad peccata sua penitius introspicienda in ipsa cordis penetralia posset admittere, nequaquam id recusare deberet aut abnuere. Peccant igitur, qui in Confessionibus dictionibus vtuntur æquiuocis aut dubijs, aut res admiscent ad Confessionem impertinentes, ne videlicet peccatorum suorum appareat deformitas. Eiusmodi enim Confessio, præterquam quòd non sit legitima, vt supra declaratum est, vt plurimum etiam destituta est dolore in Confessione requisito. Vulnus nisi detegatur medico, curari rectè ac sanari non potest.

Si quæritur, cuiusmodi peccatum sit talis peccatorum occultatio? Respondeo pro diuersitate circumstantiarum, modo veniale, modo verò posse esse mortale. Vt vt sit, certum est, graue esse peccatum, quod in re tanti momenti, cuiusmodi Sacramentalis est Confessio, committitur. Deinde illud etiam addo, eiusmodi occultatione nonnunquam vitiari Confessionem, quando scilicet per illam impeditur Confessarius, quo minus inter peccatum mortale ac ve-

niale rectè poſsit diſcernere.

7. Diſcreta.

Septimo requiritur vt diſcreta ſit Confeſsio, id eſt, prudens, ſecundum explicationem Caietani in Sum. v Confeſſ. cond. 7. Talis verò erit primo, ſi pœnitens peccata ſua verbis explicat diſcretis & honeſtis, idque propter reuerentiam huic Sacramento debitam, & ne aures Confeſſarij offendantur. Secundò, ſi in peccatis carnalibus recenſendis, neceſſariæ tantum exprimantur circumſtantiæ, laſciuioribus & non neceſſarijs omiſsis; quamuis ab hoc vitio multi excuſentur, propterea quod inter circumſtantias neceſſarias & non neceſſarias rectè diſcernere non poſsint. Tertio diſcreta erit Confeſsio, ſi quæ coniunctim commodè proferri poſsint, non ſeparatim vel ſingulatim exprimantur. Verbi gratia: Si iocosè quiſpiā ter mentitus ſit, nihil attinet dicere: iocoſe mentitus ſum, moxque idem ſecundo & tertio repetere: iocoſe mentitus ſum, ſatis erit ſi dicat: ter iocoſe mentitus ſum, & ſic de ſimilibus iudicandum. Vbi notandum eſt, ſi quis circa hanc conditionem peccet, non grauiter peccare, ſed errare tantum ex imprudentia. Caietanus Verb. Conf. cond. 7. hiſce tribus modis quartum adiungit, quo tum diſcretam Confeſsionem eſſe aſſe-

rit, quando Pœnitens prudentem ac idoneum sibi elegit Confessarium, id est, qui doctrina pariter ac probatæ vitæ exemplo alijs præluceat. Qua quidem ex re non mediocre percipiet adiumentum. De Confessario indocto, quando etiam ob eius ignorantiam Confessio sit inualida ac reiteranda, dicetur infra cap. 6.

8. Libens.

Octaua Confessionis conditio est, vt libens sit, id est, non coacta, sed prompta, voluntaria ac libera. Talem verò Confessionẽ tum dicit esse Caietanus, quando ad Confessionem excitatur Pœnitens non pœnæ alicuius metu, sed ex mero animæ suæ sanitatis recuperandæ desiderio. Nauarrus in Manuali cap. 2. num. 7. affirmat, Confessionem omnem, quæ principaliter propter Deum fit, esse voluntariam, etiamsi pœnitens secundariò ex alia causa moueatur humana. Obseruandum autem hic est, quemadmodum res est maximè laudanda, maximique meriti apud Deum, si parentes, ac patres, matresque familias, filios suos, famulos ac famulas ad frequentem exhortentur Cõfessionem: ita quoque periculosum esse, si eos ad hoc Sacramentum velint compellere, cum Confessio debeat esse voluntaria, raroque bonum Confessio coacta sortiatur

exitum,

exitum, licet precibus etiam sit extorta: habet enim admixtum nescio quid violenti, minusque malum est raro, quam male, confiteri. Confessio enim, etsi per se ad animæ salutem sit vtilissima, nihilominus tamen nisi rectè instituatur, magis obest quàm prodest: quemadmodum & medicina corporalis, nisi tempestiuè adhibeatur.

Nec probatur mihi zelus illorum Patrum ac Matrumfamilias, qui varijs modis ac artibus, non tamen citra aliquam violentiæ speciem, liberos, famulosque suos cogere conantur eundem adire Confessarium, qui & ipsorum excipere Confessiones consueuit. Quanquam enim non male id interdum succedat, tamen satius duco, suam cuique libertatem in Confessario eligendo relinquere, nimirum ad euitandum sacrilegij periculum. Etenim multæ reperiuntur famulæ, quæ cùm non intelligant, quàm inuiolabile sit Confessionis sigillum, facilè induci se patentur, vt peccata aliqua reticeant, metuentes ne per Confessarium illa hero aut heræ reuelentur. Quamobrem tutius erit hac in re ijs permittere, vt eligant qui ipsis magis placeat, quo voluntaria sit & fructuosior Confessio.

9. Verecunda.

Nono requiritur vt ſit Confeſſio verecunda, id eſt, omni iactantia careat, neque recenſeantur peccata ad modum hiſtoriæ, aut velut res parui alicuius momenti; ſed ſerio cum affectu, verecundè ac modeſtè. Quod commodiſſimè fieri poterit, ſi culpam ſuam pœnitens agnoſcat; peccatorum enim ſuorum vilitate ac turpitudine ad animum reducta, fieri vix poteſt, quin erubeſcat. Caietanus in huius conditionis explicatione in Sum. V. Conf. condit. 9. nihil aliud verecundiam eſſe dicit, quam timorem diminutionis ſuæ exiſtimationis, ex quo fit, vt pœnitens in Confeſsione ſuorum peccatorum timeat ſe minus perfectum & probum habitum iri. Et hanc verecundiam, qua afficitur quis in Confeſsione, ſi amore Dei vincat ac ſuperet, in partem illi ſatisfactionis reputabitur, quæ quò maior erit, eo maiorem quoque ex hac victoria quæſtum ac honorem reportabit. Vnde perperam faciunt, qui duobus vti Confeſſarijs conſueuerunt, quorum vni, cuius faciem non erubeſcunt, grauiora peccata confitentur; alteri verò, cuius conſpectum magis verentur, ne quam eius incurrant reprehenſionem, peccata leuiora & venialia tantum confitentur. An id citra peccatum fieri poſſit, non hic, ſed infra cap. 8. diſpu-

8. diſputabo. Illud tantum hic dico, malum eſſe indicium, ſi quis à Confeſſario ſuo reprehendi nolit. Certum ſiquidem eſt, Diabolum nulla de re æquè lætari ac triumphare, quam ſi videat frequenter aliquem confiteri, neque tamen vitam ſuam emendare. Hoc modo duos habere Confeſſarios, via eſt, qua ad vitæ emendationem non peruenitur. Malè autem facere, quicunque hanc viam inſiſtunt, vel ex hoc ſolo ſigno euadit manifeſtum, quod ſimulatque id de ijs innoteſcit, contriſtentur ſubito ac erubeſcant. Pari ratione malè quoque hi facere cenſendi ſunt, qui ne pudore afficiantur ob peccata, in quæ poſt vltimam Confeſſionem reciderunt, ſub prætextu Confeſsionis generalis, noua cum veteribus iam ante confeſſis confundunt, aut ad alios ſe Confeſſarios, quibus cogniti non ſunt, conferunt. Vterque modus fouendis magis quam emendandis peccatis deſeruit, ideoque ab vtroque abſtinere debent, quicunque fructum aliquem ex ſacra Confeſsione exſpectant.

10. Integra.

Decima Confeſsionis conditio eſt Integritas, quæ requirit, vt nullum omittatur peccatum mortale, cuius in mentem veniat recordatio, neque circumſtantiæ neceſſariæ. Quæ verò ſint eæ, ſequenti capite declarabitur.

bitur. Integram debere esse Confessionem, veritas est fidei multis iam Concilijs definita. Et quidem Concilium Tridentinum vltimum his verbis vtitur, Sess. 14. can. 5. & 7. *Qui scienter retinent aliqua, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Ratio hæc est, quod nullum peccatum mortale remitti possit, quamdiu vel vnum in anima retinet; neque gratiam quis potest recipere, quamdiu vllum in animo peccatum residet mortale.

Præterea requiritur hac conditione, vt nō in communi aut confusè, sed distinctè & particulariter quodlibet peccatum proponatur. Hic enim mos est antiquus Ecclesiæ, à S. Concilio Trident. Sess. 14 Can 15. & ca 7. approbatus. Numerum quoque peccatorũ, quoad fieri potest, exprimere oportet: præterquam enim quod id communis Ecclesiæ consensus requirat, S. Thomas quoque opusc. 12. q. 6 in fine, alijque Theologi quamplurimi idipsum approbant. Concilia quoque Lateranense & Florentinum idem statuerunt, dum quemlibet ad omnia sua peccata confitenda obligatum esse affirmant. Vult enim Concil. Tridentin. Sess. 14. cap 5. quo melius Confessarius inter peccata discernere possit, peccata non generatim, sed singulatim esse exprimenda, vt verbo numerus significetur. Ratio est, quod aliter iudice-

dicemus de eo, qui ſe blaſphemaſſe; aliter vero qui millies ſe blaſphemaſſe confitetur. Cum enim Confeſſarius Pœnitentis ſit Iudex, Medicus, ac Magiſter, non poterit rectè eum iudicare, curare, ac inſtruere, niſi particulariter eius defectus cognoſcat. Vnde integram Confeſsionem non facit, qui multoties ſe contra decem præcepta peccaſſe confitetur, contra opera miſericordiæ &c. propterea quod neque ſpecies, neque peccatorum numerum exprimat.

Quod ſi vero quiſpiam certi peccatorum numeri non recordetur, eum exprimere obligatus eſt, quem putat quam proximè ad veritatem accedere. Vnde minimè mihi placet, quod hac in parte ſimplicioribus nonnullis in more poſitum eſt, qui plus dicunt quam ipſis verum eſſe videatur, putantes hoc modo magis ſe fore ſecuros. Satis eſt, ſi id quod verum ipſis videtur dicant, & non amplius. Quod ſi nec id facilè præſtare poſſint, tempus ad minimum exprimant, per quod in peccato perſeuerârunt: item quoties per ſeptimanam aut menſem peccare conſueuerint declarent, ſic enim integra futura eſt Confeſsio, vt putat Soto diſtinct. 17. q. 2. art. 4 in 4. Sent. Nauarrus. c. 6. n. 15. & alij plures.

Obſeruandum vero hic eſt: Si quis eum in Confeſsi-

Confeſſione ſuorum peccatorum numerum expreſſerit, quem in Conſcientiæ examine quamproxime ad veritatem iudicauerit accedere, poſtea vero in mentem illi redeat tanta peccatorum multitudo, vt notabiliter numerum ante in Confeſſione expreſſum excedat, tum ea duntaxat peccata poſtmodo illi eſſe confitenda, quæ ante non ſufficienter enumerando prætermiſit. Si quis igitur vel vnum duntaxat peccatum mortale, aut circumſtantiam aliquam neceſſariam omittat, non tantum ſacrilegium committit, ſed Confeſſionem inſuper inualidam reddit. Quinimò, ſi quis peccatum aliquod mortale reticere deliberatò propoſuit, idque nihilominus in Confeſſione poſtea exprimeret, non valebit Confeſſio, niſi hoc etiam addat, quod de eo peccato Confeſſarium celare conſtituerat. Cum etiam eiuſmodi propoſitum peccatum mortale ſit, non erit integra Confeſſio, niſi & hoc peccatum exprimatur. Similiter ſi quis in Cōfeſſione prætereat peccatum aliquod de quo dubitet, ſitne mortale an veniale, is mortaliter peccat, neque valet Confeſsio, quia non eſt integra. Pari ratione ſi quis citra iuſtam cauſam ſuorum peccatorum partem vni Confeſſario, alteram verò partem alteri confiteatur, non vna, ſed duæ erunt Confeſſiones, quarum neutra erit in-

tegra,

tegra, propterea quod iuxta D. Thomam in Addit. q 9. art. 2. omnia peccata mortalia vni Confessario reuelari oportet. In quibus verò casibus Pœnitens poſsit ac debeat aliquod peccatum in Cõfeſſione omittere, postea cap. 5 declarabitur.

Obſeruandum verò hic eſt, fieri poſſe, vt Confeſsio aliqua non ſit integra, & tamen nihilominus bona exiſtat. V. g. Si quis poſt debitum Conſcientiæ ſuæ examen peccati alicuius obliuiſcatur, talis Confeſsio, etſi integra non ſit, nihilominus tamen eſt bona. Quanquam ſecundum aliquos etiam integra rectè dici poſſit, quippe cum pœnitens omnia confiteatur peccata quorum recordatur, neque vllum voluntariè omittat; reliqua etiam lubens confeſſurus, ſi modò eorũ recordaretur. Poſt debitum Conſcientiæ examen diximus: ſi quis enim per negligẽtiam ſuam alicuius peccati obliuiſcatur, non valet Confeſsio, peccatque dum per ſuam culpam ſtat, quo minus Confeſsio ſit integra. Si quis verò citra culpam ſuam alicuius fortè peccati mortalis obliuiſcatur, idipſum vbi in memoriam redierit, vel eidem vel alteri Cõfeſſario tenetur confiteri.

Hoc loco tria ſeſe offerunt dubia. Primum eſt: Si quis morbo præpeditus, incœptam Confeſſionem pertexere, aut mutus quiſpiam peccatum aliquod ſufficienter explica-

re non poſsit, eritne integra hæc Confeſsio, nec ne? Reſpondeo: Si infirmus vnum duntaxat peccatum recenſeat quantumuis veniale, reliqua verò morbi impediente grauitate nequeat percenſere, abſoluendus eſt, quia facit id quod poteſt, & voluntariè peccatum nullum omittit. Idem dicendum de muto, qui quantum in ſe eſt, peccata ſua manifeſtare per ſigna allaborat. Atque ita vterque eſt abſoluendus.

Secundum dubium eſt: Si infirmus quiſpiam propter imbecillitatem loqui non poſsit, ſignum verò aliquod edat Contritionis quo ſe peccaſſe ſignificet, ac abſolutionem deſiderare, an abſolui rectè talis poſsit, nec ne? Soto, Ledeſima, & Canus negatiuam partem tuentur, quibus accedit Nauarrus cap. 26. num. 27. Qui omnes hoc potiſſimum nituntur fundamento, quod tali ſigno nihil ſpeciatim Confeſſario declaretur, ſed generaliter tantum, vnde de pœnitentis ſtatu non poteſt iudicare, & per conſequentiam neque eum abſoluere. Alij contra rectè abſolui poſſe arbitrantur. Talis enim facit quod in ſe eſt, ſeque ipſum ſufficienter accuſat, ideóque & abſoluendus eſt, alioquin ſi moriatur citra Abſolutionem, in periculo verſatur condemnationis. Et hæc probabilior videtur eſſe ſententia, quam amplectuntur etiam S. Antoninus, Paludanus, Syluester ver.

Conf.

Confessor. 3. q. 13. Angelus verb Conf 4. n 8. Medina, Ruardus, Cordubensis & Suarez de Confess disp 23 sect 1. art. 5.

Tertio quæritur: Si infirmus quispiam nullum omnino specimen edat Contritionis coram præsente Confessario, constet tamen per testes, quod certis Contritionis signis significauerit se confiteri voluisse, posśitne talis absolui, nec ne? Soto, Ledesma, & Canus, quos in superiore quoque dubio citauimus, putant talem absolui rectè non posse, cum Confessarius talis pœnitentis causam cognoscere non posśit, ideo neque eum absoluere posse autumant. Communior tamen sentētia est, posse absolui, quā amplectuntur etiam Auctores supra citati, & cum his alij complures, quos citat Toletus in Summa cap 8. vbi Canones aliquot adducit in huius sententiæ confirmationem. Idem etiam sentit Suarez de Confess, disput. 23. sect. 1. & disp. 19 sect. 3. Multa præterea Concilia huic quoque opinioni suffragantur, veluti Arausicanum 1. cap. 12. & Carthaginense 4. c. 76. S. Leo 1 Epist 89 & 91 alijque complures, eiusmodi infirmum rectè absolui posse asseuerant. Tantorum Doctorū authoritatibus hæc insuper accedit ratio, quia talis Pœnitēs fecit quod potuit, semetipsum accusauit, & absolui petijt. Ergo neque deneganda, sed remoto omni scrupulo, illi abso-

absolutio erit communicanda. Quinimò periculosum existimabimus, si talem non absoluerit Confessarius: si enim infirmus attritionem habeat, accedente absolutione saluabitur, qua si defraudetur, condemnari eum necesse est.

Circa praxin huius opinionis quatuor potissimum veniunt obseruanda. Primum est, Confessarium (quo omnis dubitandi amputetur occasio) eiusmodi infirmum absoluere posse cum conditione, si scilicet possit, aut non desit materia sufficiens. Secundo caueri debet, ne quis fortè lateat dolus. Cum enim in aliquibus Germaniæ locis inueniantur, qui cum ægrè ferant cognatos suos hæreticos in locis prophanis sepeliri, isti malo vt præueniant, tum primum Confessarium accersunt, quando iam infirmus amplius loqui non potest, dicentes eum confiteri voluisse, cùm tamen id neutiquam verum sit. Confessarius verò eiusmodi fraudem deprehendens, infirmum talem neque potest neque debet absoluere. Tertium est, quod ad absoluendum talem infirmum, non satis est aliqua deuotionis & Contritionis signa eum exhibere, sed requiritur etiam vt confiteri quæsiuerit: hoc ipso enim se deuotionem & Contritionem suam clauibus submittere significat vt rectè annotat Suarez de Confess. disp. 23. sect. 1. §. 12. Quarto demum

est obseruandum, quod si infirmus propter mortis instantis periculum absolutus sit antequam perfectè confessus, deinde vero conualescat à morbo, confitendum illi esse, & post Confessionem denuo absoluendum.

11. Secreta.

Vndecima Confessionis conditio requirit, vt sit secreta, id est, necesse non est eam publicam esse, aut in præsentia fieri alicuius, qui confitentem queat intelligere. Colligitur hoc ex cap. *Omnis vtriusque sexus*; vbi dicitur de pœnitente: *Solus peccata sua confiteatur*. Et S. Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. in hunc modum inquit: *Etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & ob Ecclesiæ offensæ ædificationē, delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc diuino præcepto mandatum.* Ex duobus hic citatis locis duo colligi possunt documenta: primo, neminem obligatum esse publicè confiteri: secundo publicam Confessionem prohibitam non esse, vnde si quis velit, rectè publicè confiteri posset, quæ vera futura esset Confessio, & digna Sacramentali absolutione. Quod tamen ita intelligendum est, quatenus id fieri possit sine scandalo aut infamia,

nimi-

nimirum ad ædificationem, vti Conc. Trid. affirmat.

Hinc igitur infertur: Si vulneratus præsente & audiente chirurgo, aut alius quispiam per interpretem sua peccata velit confiteri, si aliter non possint, rectè eiusmodi pœnitentes absolui posse, quippe cum publica Confessio non sit prohibita, recteque possint Pœnitentes, si velint, huic suo quasi priuilegio renuntiare, modo id citra periculum alicuius scandali aut infamiæ commodè fieri possit, vti supra dictum est. Cui communi sententiæ astipulatur etiam Caietanus verb. Confess. cond. 11. Francisc. de Victoria de Sacram. quæst 171. Soto. in 4. dist. 18 q. 2. art. 6. Nauarrus cap. 2. num. 1. 7. & 8 alijque complures.

Hic dubia aliquot occurrunt. Primum: Contingit è naufragio quodam duos socios saluari in vno scopulo; horum vnus, quia sentit se de vita periclitari, desiderat confiteri, ponamus autem casum omnia eius peccata socio esse cognita, quæritur an hic obligatus sit socio suo audiente confiteri Sacerdoti, qui in aduerso scopulo sedeat ex eodem naufragio saluatus? Respondeo, nec in hoc quidem casu, quo clam alio Confessio fieri non potest, eum ad Confessionem obligari; non enim præcepto aliter obligamur, quàm semotis arbitris soli Sacerdoti

delicta nostra confiteri. Si tamen confiteatur, rectè faciet & absolui poterit: si enim attritus sit, iam mediante Confessione ex attrito fiet contritus, quæ via erit tutior ac securior, præsertim cum socio existente conscio omnium suorum peccatorum, nullum omnino ibi nec ab infamia, nec à scandalo timere periculum necesse sit. Dico præterea in tali casu fieri interdum posse, vt pœnitens ex præcepto charitatis ad confitendum obligetur, etiam cum aliquo suæ famæ dispendio; tum videlicet, quando peccatorum mortalium sibi conscius, veretur non fore sufficientem suam Contritionem. Si enim attritus solum absque Confessione moreretur, non saluaretur, atque ita peccaret in seipsum contra charitatis præceptum, cum nemo seipsum absque peccato tanto periculo possit exponere.

Secundo dubitatur: Si cui nullum aliud suppetat confitendi medium quàm per Scripturam, quia, scilicet, vel ille mutus, vel Confessarius surdus sit, an in tali casu hic per scriptum confiteri sit obligatus præsenti Confessario in scriptis sua peccata exhibendo? Partem negatiuam tuentur Nauarrus, Richardus, Victoria, Medina, aliique complures, quod scriptura ex natura sua sit publica, & amissionis periculo exposita, vnde periculum pœnitenti de fama. Caieta-

nus in Sum. ver. Confess. condit. 11. eandem amplectitur sententiam, quanquam paulò post sibi contrarius, pœnitentem per scriptum confiteri obligatum esse affirmet. In qua sententia etiam est Syluester ver. Confess.1 qu. 15 qui citat etiam S. Thomam in 4. dist.17 qu 3.art.4 Paludanus dist. 17.q.2. Petrus Soto de Confess. lect. 11. Suarez de Confessione disp. 36. sect. 6. Vnusquisque enim obligatus est confiteri eo modo, quem putat ab omni periculo esse remotissimum. Iam vero ijs periculis, quibus exponitur quisquis per scriptum confitetur, facillimè potest præueniri. Ergo ad Confessionem in eo casu quis obligatur. Caietanus eiusmodi proponit consilium, vt in vna chartula species, in altera verò numerus peccatorum scribatur. Petrus de Soto consulit pœnitenti, vt peccatum vnum in charta descriptum Confessario legendum exhibeat, eoque lecto chartam è vestigio dilaceret, deinde eodem modo procedat cum peccato secundo, &c. sic enim futurum, vt peccata per scripturam non publicentur. Deinde etiam consultum videtur, si peccatis omnibus in charta aliqua descriptis, nomen suum pœnitens non subscribat, vt nimirum ea charta amissa, cuius ea peccata sint, nemo rescire possit. Simili consilio vti poterit, qui linguæ aliquo vitio impeditur, vel vocem ita submis-

ſam habeat atque exilem, vt peccata ſua explicare, aut à Confeſſario rectè percipi non poſſit.

Tertium dubium eſt: An, ſi aliter non poſſit, in mortis articulo aliquis obligatus ſit per interpretem confiteri? Caietanus ver. Confeſſ. condit. 11. Victoria in ſumma num: 173. Petrus de Soto de Confeſſ. lec. 5. Ledeſima, Medina, & Dominic. Sotus in 4. Sentent. diſt. 18. q. 2. art. 6. abſolute, & vniuerſaliter neminem per interpretem confiteri obligatum eſſe aſſerunt, propterea quod (vti ſupra &c. 1. dictum eſt) neminem cogat Eccleſia alteri quam Confeſſario ſua peccata reuelare. In hac doctrina generali, inprimis mihi placet diſtinctio Suarez de Confeſſ. diſp. 36. ſect. 6. Si inquit, aliquis in tali caſu conſtitutus probabiliter credat ſe veram habere Contritionem, iam non obligatur per interpretem confiteri, cum in tali caſu talis Confeſſio non ſit neceſſaria: ſi verò Attritionem duntaxat ſe habere exiſtimet, aut ſaltem probabiliter dubitet de ſua Contritione, tum, ſi non ex Eccleſiæ, at ex charitatis ſaltem præcepto, qua quiſque de ſalute ſua debet ſollicitus eſſe, obligatus eſt per interpretem confiteri, ne citra Pœnitentiæ Sacramentum moriendo, damnationis ſe periculo exponat, maximè cum interpres non minus, quam ipſe Confeſſarius obligatus

fit Confessionis sigillo.

12. Lacrymabilis.

Duodecimo requiritur, vt Confessio sit lachrymabilis, id est, dolorosa Quamuis vero lachrymæ oculorum corporalium vtiles sint, ad Confessionem tamen neutiquam sunt necessariæ, neque in nostra potestate: Cordis tamen lachrymæ omnino sunt necessariæ, quæ sunt internus quidam dolor ac tristitia ob peccata perpetrata. Ille igitur Pœnitens, qui peccata sua cum Contritione, id est, cum dolore ob offensam diuini Numinis Maiestatem, firmoque proposito eandem non amplius in posterum offendendi confitetur, Confessionem facere censendus est dolorosam & lachrymabilem. Ad talem vero faciendam Confessionem, inprimis vtile esse dicit Caietanus verb. Conf. cond. 12. si quis consideret, nihil aliud esse mortaliter peccare, quàm Deum vltimum suum finem abnegare. Et quidem si meritò dolet Vasallus, qui Regi suo legitimo dixerit: Ego te Regem meum non agnosco; quanto magis dolendum est ei, qui Deum summum bonum abnegauerit, quod toties quiuis facere censendus est, quoteiscunque se mortali peccato contaminat. Et si Vasallo isti, cui tantum crimen condonatum est, omni studio cauendum est, ne in idem

iterum crimen recidat, multò certè magis id conueniet Pœnitenti, cui toties iam similia peccata fuerunt condonata ac remissa.

Operæ pretium etiam erit considerare, quanta ex peccato mortali in nos recidant detrimenta, gratiam enim diuinam nobis adimit, & ius ad cœlestem hæreditatem, quo thesauro nihil in hac vita habemus pretiosius. Si enim tantopere doluit Esau, (Genes. 27) quia benedictione Isaaci defraudatus est sui parentis, quanto magis homini Christiano dolendum, qui vel vno solo peccato mortali, benedictionem perdit & amicitiam, ac ius adoptionis filiorum Dei. Meritò igitur cuiuis annitendum est, vt dolorosa mediante Confessione, in gratiam denuo cum Domino suo reuertatur.

13. Accelerata.

Decimatertia Confessionis conditione monemur, vt quam primum sese obtulerit commoditas, post commissum delictum, festinemus ad Confessionem. Quamuis enim nouum peccatum non sit, post admissum peccatum subito non confiteri, etiam commoditate oblata, quia ad id nullo expresso præcepto astringamur, nihilominus tamen in peccato mortali diu perseuerare semper fuit ac etiamnum est noxium ac pe-

riculosum, cum nihil aliud id sit, quam in diuina constitutum esse inimicitia: si enim ex improuiso mors repentina interueniat. Deus bone, quid de misera illa anima futurum speremus? Et quæ tandem hæc dementia est: ad lectum se recipere cum serpente nemo audet, cum peccato vero mortali decumbere non reformidat, qui serpens tam animæ quam corpori multo virulentior est ac periculosior?

Sed satis est (dicet aliquis) si quis de peccato doleat, cum proposito illud ipsum. Quadragesimali tempore confitendi Esto, bonum illud esse concedo, interim tamen ista mora non caret periculo. Quis enim scit an tantus ille dolor sit, vt per illum gratiam diuinam tibi possis acquirere, vnde securus esse non potes, fore vt derepente morte oppressus cælestem beatitudinem consequaris. Si verò confitearis, iam dolor tuus, qui forsan erat Attritio, virtute Absolutionis in Contritionem commutabitur, quæ ad gratiam diuinam & amicitiam impetrandam sufficit. Vnde Gerso in Tractatu de pœnitentia, cum alijs nonnullis existimarunt, hominem, qui mortaliter peccauerit, è vestigio ad Confessionem iure diuino obligari: quæ tamen opinio non immeritò ab omnibus est reiecta. Cum enim præceptum, quo ad confitendum obligamur, sit affir-

matiuum, non obligat nisi ad tempus necessitatis, veluti dicetur infra. c. 7.

14. Fortis.

XIV. requiritur, vt Confessio sit fortis. Erit confessio fortis, si quis omni difficultate & vitioso pudore fortiter deuicto, peccata sua citra omnem occultationem, & propriæ culpæ extenuationem confiteatur. Equidem planè rationi videtur dissentaneum, eum, qui in peccando accipiendisque vulneribus fortem se & strenuum demonstrauit, tanti timoris ac pusillanimitatis in ijsdem vulneribus obligandis & curandis, præ se speciem ferre, vt ne spectanda quidem sua vulnera exhibere medico audeat. Præterea fortis dicetur Confessio, quando quis virili animo & sponte, semetipsum de peccatis suis accusat, non expectando donec à Confessario de ijs interrogetur. Monet autem hic Caietanus, si quispiam ad Cōfessionem accedat, non cum animo ac proposito sponte sua peccato proponendi, sed tamen ea si interrogetur syncere ac fideliter recensendi, operamque insuper diligentem nauet, vt à Confessariō de omnibus suis peccatis interrogetur, talem Confessionem fortem quoque nuncupari non immeritò posse, modo is, qui confitetur, firmiter apud animum suum constituat, defectum, qui

forte à Confessario minus quam par sit accurate in peccata sua inquirenti poterit admitti, spontanea supplere manifestatione. Vnde si talis Pœnitens non interrogatus à Confessario suo, de omnibus peccatis absolui se patiatur, antequam id quod à Confessario relictum erat ipse suppleuerit, non erit dicenda fortis illa Confessio, neque valebit, quia non est integra. Et qui sic confitetur, mortaliter peccat.

15. Accusans.

Decima quinta Confessionis conditione requiritur, vt Pœnitens, dum peccata sua confitetur, non se excuset, neque ea ad modum historiæ recenseat, aut culpam eorum in alios transferat, cum certum sit neminem peccare, nisi propria concurrat voluntas. Quæ circa hanc materiam moueri præterea poterant, vide cap. 1. vbi definitio Confessionis fuit explicata. Vnum hic saltem dubium proponendum superest. Si quis Confessario peccata sua citra intentionem confitendi, consulendi videlicet gratia, aut ad modum historiæ recenseret, tandemque hæc verba adiungeret: De hisce me peccatis, ô Pater, quæ enarraui, accuso, absolue me. Quæritur an absolui talis possit? Respondeo absolui posse, quia vera & integra hæc est Confessio, quamuis enim sub principio Confessionis

eorum peccatorum se non accusauerit, tamen id fecit ante Absolutionem. In hac sententia est Medina in Cod. de Pœnit. in c. de circumst. sub finem, vbi id insuper addit: Si quis nullum aliud admisisset peccatum præter vnicum furtum, in quo socium habuisset ipsum suum Confessarium, eique diceret: Ego de hoc peccato, quod tecum admisi, me accuso, rectè à Confessario absolui posse.

16. Parere parata.

Decimasexta Confessionis conditio requirit à Pœnitente, vt Confessario suo in ijs, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent, parere paratus sit. Cum enim Confessarius Iudicis, Pœnitens verò Rei personam sustineat, quid aliud videtur postulare ipsa ratio, quam vt ille ordinet ac mandet, hic vero mandatum exequatur? Primò ergo paratus esse debet, ad restituendum alteri quod alterius est, idque secundum modum illi à Confessario præscriptum. Secundò paratus erit, peccatorum occasiones ad eiusdem Confessarij præscriptum, subterfugere. Tertio debet esse paratus satisfactionem, quæcunque illi in hac vita à Confessario imponetur, perficere. Hæc est communis Doctorum sententia, à qua tamen recedit Caietanus, qui dicit, posse respõdere Pœnitentem,

quod

quòd in futuro ſeculo, in Purgatorio videlicet velit ſatisfacere. Qua de re infra, vbi de Satisfactione agemus, prolixius contra Caietanum diſputabimus.

De peccatorum circumſtantijs, quas in Confeſsione exprimere neceſſe eſt.

CAPVT III.

SVPRA in explicatione conditionis decimæ dictum eſt, Confeſsionem, vt valida ſit, integram eſſe oportere. Vt autem integra ſit, requiri, vt præter ipſa peccata eorundem etiam circumſtantiæ explicentur. Nunc ergo quænam illæ, quàles, & quid ſint circumſtantiæ diſpiciamus. *Circumſtantia* igitur nihil aliud *eſt*, quàm *accidens, quod peccati culpam vel aggrauat, vel diminuit*; ſuntque numero ſeptem, quæ ſequenti verſiculo comprehenduntur, qui habetur apud S. Thomam in 1.2 q 7. art. 3. *Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.*

QVIS, qualitatem perſonæ peccantis denotat, vel cum qua peccatur, ſitne ſecularis vel Eccleſiaſtica. QVID, qualitatem peccati. VBI, locum in quo committitur peccatum, ſitne ſacer, an prophanus. QVIBVS AVXILIIS, id eſt, quibus medijs ſit com-

missum indicet. Cvr, id est, quo fine, aut qua intentione. Qvomodo, denique modum, & Qvando tempus significat. Quandoquidem autem variæ sunt Circumstantiæ, quò facilius dignosci possit, quænam in Confessionibus sint exprimendæ, & quæ non eum mihi duxi hîc ordinem sequendum, vt primùm, quod certum est; deinde verò quod dubium, circa hanc materiam explanem.

Imprimis igitur certum est, Circumstantias ad rem non pertinentes; in Confessiône non esse exprimendas, quia peccatum nec aggrauant, nec minuunt: deinde etiam consumeretur tempus in ijs recensendis. v. g. si quis dicat ante, vel post prandium mentitus sum, similiter si quis homicidium perpetrauerit, nihil attinet dicere, bombardam emi, illam oneraui, ad locum opportunum me recepi, deinde illam exoneraui; aut si quis fornicatus sit, necesse non habet oscula, reliquosque omnes tactus impudicos, qui communiter actum illum fornicationis comitari cõsueuerunt, recensere, nisi fortè animum non habuerit ipsam fornicationem perpetrandi; tum enim oscula ac impudicos istos tactus recensere necesse habet, cùm illa per se sint peccata mortalia. Oscula verò reliquosque tactus impudicos, qui consummato iam fornicationis actu admiscen-

tur, explicare omnino oportet, propterea quod præcedenti fornicationis actui non includantur, quemadmodum impudici tactus, qui eam præcesserunt, sed dispositio potius quædam ad secundum sint actum, aut fornicationis peccatum. Ita sentit Suarez de pœnit. disp. 12. sect. 6 § 26 contra Nauarrum cap. 6 num 17. quamuis alij nonnulli Nauarri potius sententiam, tanquam probabiliorem amplectantur.

Secundò certùm est, quòd ex circumstantijs ad Confessionem pertinentibus, omnes eas confiteri oporteat, quæ speciem mutant. Ita Concilium docet Tridentinum Sess. 14. cap. 5. Sic rem sacram furari sacrilegium est, peccatum furto grauius, veluti etiam vulnerare aut occidere aliquem in Ecclesia. At dicet hîc aliquis: Vnde dignoscam Circumstantias speciem mutantes: Respondeo: Tum speciem mutare dicuntur Circumstantiæ, quando præter peccati deformitatem, nouam deformitatem, quæ ad aliam speciem peccati pertinet, nouamque à ratione auersionem superinducunt, vt si quis furetur, homicidij vel fornicationis committendæ causa. Et hæc est doctrina S. Thomæ in 4. Senten. distin. 16. qu. 6. art. 2. qu. 3. Scotus hanc ponit regulam in 4. Sen. dist. 17. art. 2 Illa Circumstantia, inquit, speciem mutat, quæ prohibita est alio præcepto di-

uerso

uerſo ab hoc, quo prohibetur ipſum peccatum, quemadmodum animaduertere licet in exemplo iam dato, ſi quis uidelicet furetur homicidij vel fornicationis committendæ cauſa.

Tertiò certum eſt, Circumſtantias ipſum peccatum multiplicantes in Confeſſione quoque eſſe exprimendas, v. g. ſi quis iuramento vel voto facto promiſerit à blaſphemia abſtinere, hic poſtmodum ſi blaſphemauerit, non tantùm blaſphemiæ, ſed iuramenti etiam aut voti rupti meminiſſe debet in Confeſſione, propterea quòd duo diſtincta peccata ſint, blaſphemia & voti tranſgreſſio. Pari ratione, ſi quis ieiunium violauerit ea die, qua ieiunaturum ſe voto obſtrinxit, & in eandem etiam diem alicuius Sancti Vigilia ex præcepto Eccleſiæ inciderit, iam in Confeſſione huius peccati, vtraq; circumſtantia tam voti quam Vigiliæ neceſſariò erit exprimenda.

Quartò certum eſt, Circumſtantias, quæ culpam tollunt, aut peccatum mortale in veniale commutant, neceſſariò quoque eſſe exprimendas v. g furari in extrema neceſſitate nôn eſt peccatum: ſimiliter propter morbum carnem in Quadrageſima comedere. Item ſi mulier aliqua præter voluntatem per vim conſtupretur. Item ſi quis ſeipſum defendens ex improuiſo per ignorantiã

inuin-

inuincibilem alium occideret, aut ex magna necessitate die festo laboraret. Omnes eiusmodi Circumstantias in Confessione exprimere necesse est; alioquin enim falsum futurum est iudicium Confessarij, dum iudicaturus esset mortaliter peccasse pœnitentem, qui tamen mortaliter non peccauit.

Quinto illud quoque indubitatum est, omnes illas explicandas esse Circumstantias, quæ ita peccatum aggrauant ac augent, vt ex veniali peccato mortale efficiant: v. g. si quis leue mendacium cum iuramento coniungat, aut rem quantumuis etiam exigui momenti alicui suffuretur, quo scilicet ad conuiciandum alterum irritet, aut si quis iocetur putans hoc ipso se peccare mortaliter. Item si mulier ex leuitate poliendo & ornando se venialiter peccet, cum intentione idem faciendi, quantumuis præsciret se mortaliter delinquere: hoc ipso enim peccaret mortaliter, ideoque has & similes Circumstantias etiam necesse est in Confessione exprimere.

Sextò certum est, omnes quoque eas manifestandas esse Circumstantias, quæ Excommunicationem habent annexam, vt si quis Clericum percusserit, huic non satis erit dicere: percussi aut vulneraui quempiam, nisi quoq; Clericum eum fuisse adiunxerit.

Septimò

Septimò certum est, scandali quoq; Circumstantiam in duobus casibus esse exprimendam, quorum primus est: Si quis præsentibus alijs peccet, vt eos quoque ad peccandum inducat. Secundus casus est, si quis tale quid faciat, ex quo putet aliquos peccandi occasionem capturos, veluti si quis in Quadragesima in loco publico carnes comedat, vnde scandalizari multi poterunt, aut ad similiter faciendum induci ignorantes scilicet id illi ex dispensatione vel alia quadam ex causa licitum esse ac permissum.

Quæcunq; hîc de peccatis externis dicta sunt, pari quoque ratione de cogitationibus alijsque peccatis internis accipienda sunt; verbi g. Si quis cogitat rem aliquam sacram furari, non satis habet dicere: mortale furtum committere volui, sed necesse erit dicere, rem sacram auferre volui, quod sacrilegium est; distinctum scilicet à furto peccatum, eoque multò enormius.

Quæ hactenus de Circumstantijs dicta sunt, certa sunt & quasi apud omnes in confesso; sequuntur nunc quædam dubia, de quibus diuersorum diuersæ sunt sententiæ. Inter has quæstiones primum hæc obtinet locum: An in Confessione peccatorum carnalium, fœminis etiam necesse sit explicare Circumstantias virginitatem concernentes?

tes?

tes? Soto in 4. Sent disp. 18. q. 2. art. 4. dicit, quod ita, si scilicet ipsum peccatum actualiter sit admissum, non quòd speciem mutet, sed ideo, quòd quando peccatum est in actu, vt vocant, externo propter euidens dãnum, quod inde nascitur, multum aggrauetur; si verò mentaliter duntaxat committatur, tum non putat necesse esse eas Circumstantias exprimere. Suarez hanc Soto distinctionem, de Pœnit. disp. 22. sect. 4. §. 2, refutat, putatque probabile esse eiusmodi Circumstantias peccati quidem speciem non mutare, nihilominus tamen tutius esse, si in eiusmodi peccato explicet mulier, an virginitatem amiserit, nec ne? Similiter dicendum de viro, melius nimirum esse vt dicat, si rem cum virgine habuerit, vt sciatur quando obligatus sit ad resarciendum damnum. Mihi rectius sentire videntur, qui absolutè semper hanc exprimendam esse Circumstantiam affirmant: stuprum enim siue actuale sit, siue mentale, semper est peccatum mortale, & specie differt à fornicatione, vt putat Nauarrus cap. 6. num. 8. Item Valentia de qualit. Conf. punct. 1. quæ doctrina desumpta est ex D. Thoma 2. 2. q. 154. art. 6.

Secundò quæritur, An eas quoq; Circumstantias exponere necesse sit, quæ culpam ex parte diminuunt? v. g. Si furatus sit quispiam.

piam vt haberet vnde eleemosynam præstet; aut si mulier aliqua extrema adacta inopia peccauerit? Aliqui volunt eas explicandas esse, quando notabiliter culpam diminuunt, ne scilicet in iudicando decipiatur Confessarius In hac sententia est Scotus dist. 17. q 1. art.2. & Melchior Canus de pœnit, p. 5. Verior tamen eorum est sententia, qui dicunt id non esse necessarium, propterea quod peccati speciem non mutent, & vt dicit Nauarrus cap. 6. n. 6. magis excusent, quàm accusent. Eandem opinionem tuetur S. Bonauentura di. 17. q. vlt. & Suarez de pœnit disp. 22. sect. 3. §. 15. Si quis autem eas recensere velit, non prohibetur id facere, ita tamen vt non se videatur excusare, sed eo fine potius, vt quemadmodum res gesta sit, ordine intelligatur.

Tertium dubium est: An necesse sit eas confiteri Circumstantias, quibus multum peccata aggrauantur, veluti si quis centum millia scutorum furatus sit? Partem affirmatiuam multi tuentur Auctores, ex quorum numero sunt Altisiodorensis de Confess. ca. 8, quæst 3. Alensis in 4. p. quæst 77. m. 2. art. 2. §. 2. Marsilius in 4 q. 12. art 1. Soto dist. 18. q. 2. art 4. Alijecontra quantitatem specificare non putant esse necessarium, non ratione Confessionis, quia speciem peccati quantitas non mutat, nec propter restitutionem

nem. Confessarius enim obligare eum potest ad faciendam restitutionem in quantum potest, etiamsi furti quantitatem ignoret. Satis igitur est, si pœnitens dicat se furtum mortale commisisse, promittatque se quàm poterit citissimè facturum restitutionem. In hac sententia est S. Thomas in 4. Senten. dist. 16 q 3 art. 2. Scotus 17. q. 1. art. 2. Bonauentura dist. 17. art. 2. quæst. vlt. Durandus dist. 16. q. 4. Adrianus de Confess. q. 4. Medina q 7. Nauarrus cap. 6. num. 7. Et hæc est communis sententia à Concilio Trident. Sess. 14. cap 5 & cap. 7 approbata: quando enim agit de Circumstantijs, dicit eas in Confessione Circumstantias esse exprimendas, quæ speciem mutant. Ergo necessarium non est eas confiteri, quæ licet ipsum peccatum multum aggrauent, speciem tamen non mutant. Quanquam rectè facit, si quis eas confiteatur.

Quartò dubitatur: Quando exprimendæ sint personarum Circumstantiæ? Respondeo. Id tum faciendum esse, quando ipsum peccatum statui eius repugnat, qui peccat. v. g. fornicatio pugnat cum eius statu, qui fecit votum castitatis, vnde non sola eius personæ qualitas est manifestanda quæ peccat, sed etiam eius cum qua peccatur, quia peccati species mutatur. V. g. Si quis peccet cum coniugata, adulterium est; si cum reli-

giosa, sacrilegium est; cum cognata, incestus; cum virgine, stuprum. Hîc aduertendum est, si duplex sit peccatum, aut duabus ex causis aggrauetur, vtramque causam esse exprimendam. V.g. si coniugatus peccet cum coniugata, necesse erit in Confessione vtriusque personæ qualitatem exprimere, quia duplex est adulterium. Similiter si Religiosus cum Religiosa peccet carnaliter, est duplex sacrilegium. Eiusmodi verò Circumstantiæ etiam in Confessione peccatorum mortalium sunt explicandæ, veluti dictum est supra.

Quintò quæritur, sitne necesse temporis Circumstantiam in Confessione exprimere, veluti si quis peccet in die festo? Sunt qui partem tenent affirmatiuam, vt S. Bonauentura, & Cordubensis lib 1. quæst. 6. Ratione nituntur illa: Cùm enim dies festi instituti sint ad laudes celebrandas diuinas, credibile est magis illos peccatis quàm secularibus operibus violari. Communior tamen illorum est sententia, qui hasce Circumstantias confiteri non necessarium esse asserunt. In die enim festo seruilia tantùm opera facere prohibemur, quod est diuersum quid à peccando. Deinde peccatum committere non opponitur diei festæ, sed illius fini, qui est honorare Deum. Iam verò finis præcepti non comprehenditur sub ipso præcepto,

vnde

vnde qui Missam audit, & à seruilibus operibus abstinet, seruat festum. Hanc sententiam multi tuentur, quia Suarez vbi de pœniten. disput. 22. sect. 4. §. 20 agit, allegantur.

Sextò quæritur: quibus in casibus loci circumstantia in Confessionibus sit exprimenda? Respondeo in tribus. Primò, si in Ecclesia furtum committatur. Secundò, si in Ecclesia semen humanum effundatur. Tertiò, si in Ecclesia humanus effundatur sanguis: quibus Nauarrus ca. 6 num. 12 quartum adiungit casum, si quis videlicet in Ecclesia violenter quempiam adoriatur, aut capiat, quem in Ecclesia liberum & tutum esse oportuit. Obseruandum autem hîc monet Medina de Confess. q 9 hanc Circumstantiam in mentalium etiam peccatorum Confessione esse exprimendam, id est: Si quis adhuc extra Ecclesiam constitutus, consensum præbeat in furtum aut homicidium in Ecclesia perpetrandum, is tenetur hanc loci Circumstantiam inter confitendum, recensere. Valentia tamen punct. 1. §. circumstan. vbi de qualitate Confessionis agit, arbitratur in casu mentalis tantum peccati non esse necessarium hanc Circumstantiam explicare, quia Ecclesia actum duntaxat externum horum peccato-

rum

tum interdicit, citatq; Nauarrum in Manuali suo cap. 6. n. 11. quamuis Nauarrus id ita specificè non determinet. Et sanè videtur esse difficile asseuerare velle, furtum in Ecclesia commissum, peculiarem in se habere deformitatem, ob quam dicitur sacrilegium; eandem verò non habere si mente tantum perpetretur. Nemo verò obligatus est, præfatam Circumstantiam in Confessione exprimere, si in Ecclesia existens, apud animum suum constituat eiusmodi peccata extra Ecclesiam perpetrare.

Septimò quæritur: Est aliquis qui peccat, ea fiducia fretus, fore vt eiusmodi peccatum per Confessionem illi condonetur. Estne talis obligatus eam quoque Circumstantiam confiteri: Respondeo quòd non. Non enim mutat speciem, neque peccatum aggrauat, sed minuit potius secundùm sententiam Caietani in 1. 2 q. 121. art. 2. item Nauarri cap. 6. n. 3.

Notandum hîc est secundùm Nauarrum cap. 6. num. 30. Si quispiam in Confessione Circumstantiæ alicuius necessariæ sit oblitus cuius postmodum recordetur, tum non esse necessè illud ipsum peccatum cum præfata Circumstantia denuo confiteri, sed Circumstantiam illam tantùm. V. g. Iurauit aliquis se non blasphematurum, blasphemat, & inter confitendum de blasphemia

se

se accusat, oblitus interim iuramenti facti de non blasphemando. Huic satis est, si tantùm confiteatur se iuramentum violasse: quod tamen ita accipiendum, si videlicet Circumstantia illa citra peccati ipsius mentionem explicari rectè possit; sin minus, iam necesse erit ipsum quoque peccatum in Confessione repetere.

Quid faciendum sit Poenitenti, si casum aliquem habeat reseruatum.

CAPVT IV.

QVicquid in præsenti ac sequenti Capite dicetur, id omne ad integritatem Confessionis est referendum. Pœnitens igitur, qui casum habuerit aliquem reseruatum, considerare debet, habeatne peccatū illud Excommunicationem annexam, nec ne? Si habet, certum est istum Pœnitentem nec à peccato reseruato, nec ab alijs peccatis non reseruatis absolui posse, nisi prius ab Excommunicatione absoluatur per eum, cui talia peccata reseruantur. Notandum verò hic est, Episcopum, aut quemcunque alium Superiorem, si auditis casibus istis sibi reseruatis, Pœnitentem duntaxat absoluerit ab Excommunicatione, & non etiam

 à reli-

à reliquis peccatis, ſed ad eorum abſolutionem obtinendam Pœnitentem ad Confeſſarium inferiorem remittat, tum nihilominus eum obligatum eſſe, dicti Pœnitentis peccata in Confeſſione audita tenere ſecreta ſub Sacramentali ſigillo, etiamſi Pœnitentem à peccatis iſtis non abſoluerit, ſed tantùm ab Excommunicatione Deinde verò Pœnitens iſte ad Confeſſarium inferiorem reuerſus, cum reliquis omnibus peccatis, etiam reſeruata tenetur confiteri, vt ſcilicet integra ſit Confeſſio.

Si verò peccatum illud reſeruatum non habeat annexam Excommunicationem, tum quidam affirmant, Pœnitentem, ſi primum Parochum aut alium accedat Confeſſarium inferiorem, oportere omnia ſua peccata confiteri, tam reſeruata quàm non reſeruata, & à non reſeruatis abſolui poſſe per præfatum ſuum Confeſſarium; ad impetrandam verò abſolutionem pro peccatis non reſeruatis, mittendum eſſe ad Superiorem. Quod etſi quidem probabile ſit ac fieri non incommodè poſſit: nihilominus tamen ſatius ac conſultius mihi videtur, ſi Pœnitens à Superiore licentiam procuret, qua impetrata, per ſuum Confeſſarium, ab omnibus ſuis peccatis poſſit abſolui, aut per ipſum Confeſſarium à Superiore procuretur licentia Pœnitentem de peccatis iſtis reſer-

uatis

natis absoluendi, vt scilicet vna ac integra existat Confessio.

Dico præterea: Si pœnitens primò adire voluerit Superiorem, cui peccatorum suorum absolutio reseruatur, quòd debeat illum accedere cum intentione omnia sua peccata confitendi. Si verò Superior ille totam suam Confessionem audire vel non velit, vel non possit, tum sibi reseruata tantùm peccata poterit audire, & ab hisce absolutum Pœnitentem ad inferiorem Confessarium remittere, vt scilicet in reliquis per eum absoluatur, aut certè inferiori isti Confessario plenariam concedere potestatem, ad se remissum Pœnitentem, ab vniuersis simul peccatis absoluendi. Vbi notandum in hoc casu, Pœnitentis esse integram facere Confessionem, tam reseruatorum, quàm non reseruatorum peccatorum, quotquot eorũ Superiori confessus est, quantumuis à dicto Superiore eorum iam acceperit absolutionem. In hac sententia multi sunt Doctores, veluti Caietanus verb. Conf. cond. 10. Soto in 4 Sent. dist. 18. q 2 art. 5. Valentia de qualitate Confess. punct. 1. § sextus casus. Qui illud etiam addunt: Si Pœnitens ad Superiorem propter casum reseruatum recurrere non possit, & euitandi alicuius scandali causa cogatur confiteri, aut in festo Paschatis communicare, quòd in tali casu omnia

ſua peccata tam reſeruata quàm non reſeruata, Confeſſario ſuo ordinario debeat confiteri cum propoſito adeundi Superiorem, quàm primum ſeſe occaſio obtulerit, ad impetrandam pro peccatis reſeruatis abſolutionem. Quòd ſi verò iſti peccato annexa ſit Excommunicatio Superiori reſeruata, tum mortale peccatum erit, eiuſmodi Pœnitentem abſoluere: nemo enim à peccatis ſuis abſolui poteſt niſi prius ab Excommunicatione abſoluatur. Quæret hîc aliquis, an talis, cùm ſit excommunicatus, poſſit communicare; Reſpondeo cum Soto, quòd non, niſi id fiat ad euidentiſſimum aliquod ſcandalum euitandum.

Hic alicui tale ſuboriri poterit dubium: Si in Confeſſione peccatorum reſeruatorum Superiori facta Pœnitens aliquod fortè peccatum citra culpam ſuam confiteri oblitus ſit, poteritne per Confeſſarium inferiorem à tali peccato abſolui, an verò manebit reſeruatum eiuſmodi peccatum? Reſpondeo ex communi ſententia eiuſmodi peccatum non manere reſeruatum, propterea quòd Superioris intentio fuerit, Pœnitentem à vinculo reſeruationis abſoluere, & ſic indirectè quoque peccati iſtius per obliuionem omiſſi reſeruationem ſimul eſſe ſublatam, & per conſequens ab inferiore Confeſſario rectè quoque poſſe abſolui:

Si

Si quis prolixiorem de hac materia disputationem desideret, legat Suarez de pœn. dis. 31. vbi multa puncta circa communem hanc doctrinam in casu necessitatis limitantur. V. g. dum dicitur, Superiorem citra necessitatem aut iustam aliquam causam in Confessione non posse tantum audire peccata reseruata, & ab illis solummodò absoluere. Similiter etiam dum dicitur, inferiori Confessario extra casum necessitatis non licere Pœnitentem à peccatis reseruatis absoluere, sed necessariò ad Superiorem, cui peccatorum istorum absolutio reseruatur, pœnitentem esse remittendum.

Quid faciendum sit si peccatum aliquod citra vitæ aut famæ alicuius discrimen, manifestari non possit?

CAPVT V.

CAVsa, quæ difficultatem parit, circa hanc materiam, hæc est. Quia scilicet interdum contingit, vt peccatum aliquod, aut eius Circumstantia citra vitæ aut famæ discrimen, aut aliud quoddam notabile damnum reuelari non possit. V. g. Si quis Parochi fratrem occidisset in loco aliquo, vbi isto anno nullus alius fuerit

interfectus, isque, qui homicidium illud perpetrasset, probabiliter cognosceret Parochum super fratris morte vindictam procuraturum. Iam manifestum est, si auctor huius homicidij confiteatur eo anno se homicidium perpetrasse, subitò intellecturum Parochum, quisnam fratrem suum occiderit, & sic Pœnitens semetipsum vitæ periculo exponeret. Ex altera parte obligatus est Pœnitens Confessionem facere integrã, id est, omnia sua peccata confiteri. Similiter, si quis confiteatur, se rem habuisse cum cognata sua, in eo verò pago præter sororem Parochi nullam aliam habeat cognatam, certissimum est, latere Parochum non posse peccatum suæ sororis, ipsumque confitentem in vitæ versari periculo. Quæritur nunc, si talis Pœnitens, cùm præter præfatum Parochum alium habere Confessarium non possit, retinere aut subticere hoc suum peccatum hancque circumstantiam possit?

Pro dubij huius enodatione notanda est regula quædam communi omnium Doctorum calculo recepta, quæ talis est. Quotiescunque duæ leges concurrunt, quas obseruare simul impossibile sit, tum neglecta minori maiorem obseruare necesse est. V. g. Scit quispiam sibi ad audiendam Missam die Dominica ituro ab inimicis vitæ structas

ctas esse insidias: hic omittere Missam rectè potest, cùm lex conseruandæ vitæ (quia lex naturæ est) maior sit illa lege, qua die Dominico ad audiendam Missam astringimur, quippe cùm hæc lex positiua sit, facileque vnusquisque cogitare possit, Ecclesiam quæ mater nostra est, & non nouerca, non obligare nos ad Missam cum tanto discrimine audiendam. Nunc ad difficultatem à nobis ante propositam redeundo, respondeo: primò, quòd in tali casu alium sibi quærere debeat Confessarium, cui peccata sua citra vitæ periculum confiteri, & qui illum absoluere possit. Quòd si alium Confessarium habere non posit, vt in pagis ac oppidulis plerumque solet contingere, tum, si sine scandalo fieri potest, in aliud tempus Confesionem differre debet, etiamsi festum Paschatis præ foribus sit, quia lex illa, qua eo tempore ad Confesionem astringimur, minor est lege illa, quæ vitam & famam nostram nos iubet conseruare. Quid autem si citra scandalum Confesionem differre non posit, cùm necesse sit illi cum alijs communicare? In eo casu quidam dicunt posse eum communicare, modò ob peccata sua commissa verè doleat, & propositum habeat confitendi, quàm primùm id per occasionem citra periculum licuerit. Verùm hæc responsio mihi non placet, neque difficul-

tatem tollit. Si enim in periculo mortis constitutus Pœnitens non confiteretur, iam hoc ipso infamiam incurreret. Ideoque Caietanus in Sum. verb. Confess. cond. 3 & 10 & Nauarrus cap. 7. num. 5. aliud hic remedium proponunt: consulunt enim Pœnitenti, vt habitu vel voce immutata aut dissimulata operam det, ne à Confessario, à quo sibi periculum metuit, cognoscatur, præsertim cùm Pœnitens non sit obligatus Confessario personam suam manifestare. Verùm nec iste mihi modus perplacet. Quamuis enim licitè hoc fieri, & fortè alibi ex voto succedere possit, tamen non vsquequaque mihi videtur esse tutissimus. V. g. Si Pœnitens infirmus sit, aut in pago aliquo commoretur vbi Confessario omnes ferè ad vnum noti. Dico ergo, si cui Caietani consilium videatur periculosius, quàm vt id tutò sequi queat, tum Pœnitenti permissum esse, reliqua omnia sua peccata confiteri hoc verò peccatum, hancue peccati circumstantiam, vnde tanti periculi metus, rectè omittere ac reticere, cum proposito confitendi ea, quæ hîc omisit, quàm primum id fieri commodè citra periculum poterit. Talis enim Confessio integra dici poterit, cùm Pœnitens ea omnia manifestet peccata, quæ manifestare potest ac debet. Suarez de Confessione disp. 23. sect. 2. multos citat Doctores, qui hanc

candem

eandem doctrinam amplectuntur.

Fortè quæret hîc aliquis: An idem fieri possit, si peccatum aliquod aut peccati alicuius circumstantia citra socij aut consortis quoque declarationem manifestari non possit? V. g. Si quis incæstum cum sorore sua commiserit, quæ fortè nota sit Confessario, iam si pœnitens se accuset de incœstu cum sorore commisso, fieri aliter non posse videtur, quin illa apud Confessarium diffametur. Pro huius dubij solutione dico tria aduertenda esse. Primò, in Confessione, quando peccatum sufficienter declarari potest citra alicuius nominationem, tum neminem esse nominandum, nec hoc quidem permittere debere ipsum Confessarium, cuius officium est admonere diligenter Pœnitentem, ne quenquam nominet in Confessione, maximè si de peccato mortali agatur. Secundò dico: Quando peccatum citra manifestationem socij explicari non potest, vt si quis vxore sua abusus sit, aut incæstum commiserit cum matre sua aut sorore, tum Pœnitenti ipsum peccatum vna cùm sua circumstantia esse exprimendum, etiamsi Confessarius peccati socium nouisset. Nullum enim hîc tale subest periculum, quale in præcedenti dubio proponitur, neque hinc infamia vlla sequitur: cognitio enim quę habetur ex Confessione, præterquam quòd

occulta sit, etiam non est infamatoria, alioquin enim quicunque confitetur seipsum infamaret, idque tum præsertim, si talis sit Confessarius, qui si socium peccati nouisset, eum iuuare potius quàm lædere velit. Et si licitè quis alterius peccatum manifestare potest alicui eiusdem ignaro, vt fraternè ab eo corrigatur, nec tamen idcirco censendus sit eum infamare, multo minus quenquam infamare censebitur is, qui Confessario in dicto casu socij peccatum reuelat. Tertiò dico: si periculum aliquod sit publicę infamię, aut alterius cuiusdam damni notabilis, propter malam aliquam Confessarij conditionem, tum fieri rectè potest, quod in dubio præcedenti est dictum, nimirum si nihil prosint iam data remedia, silentio preteriri poterit illa circumstantia, aut ipsum peccatum, veluti supra dictum est, cum proposito confitendi quandocunque citra periculum per occasionem licuerit.

In quo casu inualida sit Confessio, ideoque reiteranda.

CAPVT VI.

MVltæ sunt causæ, ob quas inualida redditur Confessio, ideoque necessariò

ſariò reiteranda. Primò: Confeſſio eſt inualida, quandocunque per Pœnitentem ſtat, quò minus illa ſit integra, ideoque neceſſariò eſt reiteranda. V. g. Omiſit aliquis in Confeſſione peccatum aliquod mortale, morbo vel pudore præpoſtero impeditus, aut acceſſit ad Confeſſionem, nihil aut parum nimis temporis cogitationi de peccatis ſuis impertitus: vnde factum vt peccatum illi aliquod mortale exciderit, quod Confeſſario non ſit reuelatum. Talis Confeſſio non valet. Quinimò pœnitentis eſt non ſolum eam reiterare, ſed accuſare ſeipſum inſuper de negligentia in examinanda conſcientia commiſſa, aut de peccato voluntariè in Confeſsione præterito. De examine verò quod ad legitimam Confeſsionem requiritur, agemus ſub principium LIBRI noſtri quarti.

Secundò: Quæcunque Confeſsio debito caret dolore aut propoſito in poſterum à peccatis abſtinendi, aut reſtituendi, ſoluendiue id quod debetur, nulla eſt, ideoque reiteranda. Pœnitens etiam, dum aliquo horum defectuum laborans recepit Abſolutionem, peccat, & niſi eiuſmodi peccatum denuò confiteatur, Confeſsionem ſuam mancam reddit & inualidam.

Tertiò. Nulla eſt Cõfeſsio facta alicui, qui non ſit Sacerdos; aut facta quidem Sacer-

doti, ſed qui Confeſsiones audiendi facultatem non habeat, nec ordinariam nec delegatam, quippe cùm ad audiendas Confeſſiones opus ſit iuriſdictione & approbatione Epiſcopi ſecundùm ordinem Concilij Tridentini Seſſ. 23. cap. 15. Pari ratione, ſi Confeſſarius non habuerit intentionem abſoluendi Pœnitentem, aut in abſoluendo eo vera Abſolutionis forma non ſit vſus, non valet, & reiteranda eſt Confeſsio: qui enim non recipit abſolutionem, Pœnitentiæ quoque non recipit Sacramentum. Præterea multi ſunt, qui inualidam & reiterandam arbitrantur Confeſsionem, ſi tanta ſit Confeſſarij ignorantia, vt inter peccatum mortale & veniale, item reſeruatum & non reſeruatũ nequeat diſtinguere, quippe cùm talis Iudex iuſtam nequeat ferre ſententiam. In hac opinione ſunt Richardus, S. Antoninus, Ledeſima. Syluester, & Victoria. Sed hoc verum eſt tum, quando Pœnitens ſtudio talem ſibi Confeſſarium eligit, qui idoneus non ſit ad cauſam ſuæ conſcientiæ cognoſcendam: talis enim non habet animum rectè confitendi, neque cauſam ſuám iudicari rectè cupit. Peccant igitur Mercatores & quicunq; eiuſmodi Confeſſarium quærunt, qui negotiationes illorum non intelligat, ne forte eas ſuo modo exercere prohibeantur, aut ad reſtitutionem compellantur: &

præter

præter hoc quòd peccant, tenentur de integro coram Confessario, istarũ rerum gnaro, Confessionem repetere. Si verò Pœnitens bona fide confiteatur Sacerdoti ad Confessiones audiendas ordinato, & qui iurisdictionem habeat absoluendi, neque aliud vllum obstet impedimentum, quo minus absolui possit, valebit Confessio, neque quicquam in hoc casu confitenti obstabit Confessarij ignorantia. Ita sentiunt Grabriel d. 17 Adrian. q 4. Medina, Cordubensis, Petrus Soto, & Suarez de Confess. disput. 22. sect. 6. § 2. & disputat. 28. sect. 2. § vltimo.

Præterea non valet Confessio facta Sacerdoti excommunicato aut suspenso, quippe qui iurisdictione sit priuatus. Obseruandum verò hic est, quòd si nominatim Confessarius excommunicatus sit, aut notorius Clerici percussor: tum quotquot tali Confessario, excepto casu necessitatis supremæ, confitentur, non tantum Confessionem suam nullam reddere, sed insuper etiam peccare; quippe cum obligati simus abstinere à conuersatione eorum, qui sub huius excommunicationis alterutro gradu cõprehenduntur. Si qui tamen ignorantes his cõfiteantur, nõ peccant illi quidẽ, sed tamẽ inualida est illorũ Confessio, ob defectũ iurisdictionis. Quod si vero alio quodam modo excõmuuicatus sit Confessarius, non iubemur

mur eum deuitare. Si enim Parochus & Confessarius noster sit, etsi constet confitenti occultè eum esse excommunicatum licebit nihilominus illi confiteri, eritque valida tam nostra Confessio, quàm ipsius Absolutio. Dum enim ex permissione Episcopi Parochum agit, iurisdictionem habere legitimam præsumitur. Quod si autem Parochus noster non sit, neque ad Confessiones audiendas ordinatus, neutiquam licebit eum ad audiendas nostras Confessiones inducere: sic enim eius peccato cooperabimur.

Quarto: si pœnitens excommunicatus sit excommunicatione maiore vel minore, sciensque se esse excommunicatum, nihilominus accedat confessionem, neque confessarium de excommunicatione sua faciat certiorem, nulla est eius Confessio, necessarioque illi erit reiteranda: qui enim, excommunicatus cùm sit, absolui se nihilominus sinit à peccatis, antequam absolutus sit ab excommunicatione, peccat; & si hoc peccatum non manifestetur, Confessio eius non erit integra cẽsenda. Veruntamẽ si se excõmunicatũ esse ipse ignorat, aut per ignorãtiã inuincibilem nescit excõmunicatũ prius oportere absolui ab excommunicatione, antequã absoluatur à peccatis, valida eius erit Cõfessio. Et hæc est doctrina Ric. in 4. d. 18 art. 9. q. 4 Caietani in summa 15 ac Nau. c. 9. n. 4. & 5.

Duo hic occurrunt dubia, quorum primũ:

est: si quis pœnitentiam sibi à Confessario iniunctam adimplere aut obliuiscatur, aut nolit; quamuis eam se adimpleturum receperit, obligatusne erit talis ad reiterandam Confessionem necne? Respondeo; Esse authorem quendam, qui partem teneat affirmatiuam, cui tamen communis Doctorum refragatur opinio, secundum quam Confessio manet valida, neque eam opus est reiterare: peccatum enim quod committitur post Absolutionem non inualidam, Confessionem iam factam inualidam reddere non potest. Suarez de Confess. disp. 21. sect. 7 in fauorem huius sententiæ octo citat Doctores.

Alterum dubium est: An, si Confessarius aliquod peccatum non recte intellexerit, reiteranda sit Confessio? Respondeo: Si pœnitens de industria id procurauit, ne intelligeretur à Confessario, iam nulla erit Confessio, eritque reiteranda, cum idem faciat quod qui peccatum aliquod celat. Si verò absque omni malitia confessus est, non erit obligatus ad reiterandam Confessionem, si tamen sciat Confessarium aliquod peccatũ non recte intellexisse, illud peccatum duntaxat denuo tenetur confiteri. Ita arbitratur S. Antoninus 3. p. t. 17. c. 15. § 3. Materia enim huius Sacramenti peccata sunt, quæ à Pœnitente confitente Confessarius excepit, siue audiuit, ac cognouit; quippe cum sine

alterutro horum, Confessione Pœnitentis ac Confestarij intelligentia, rectè de peccatis iudicari nullo modo possit.

Duo verò hic consideranda veniunt. Primò, Pœnitenti de nouo alij Confessario cõfitenti omnia peccata esse repetenda: si verò eidem Confessario confiteatur, non opus esse omnia specificè repetere, cum hac distinctione, si Confessarius recordetur peccatorum pœnitentis, aut pœnitentiæ, quam illi iniunxit, aut statum conscientiæ illius cognoscat. Satis est generaliter tantum causã explicare, ob quam reseruetur Confessio. Si verò nihil horum recordetur. Confessarius, iam totam Confessionem repetere necesse erit, perinde ac si nouo Confessario confiteretur. Ita sentiunt S. Antoninus in 3 p. tit. 14. cap. 19. § 4. Syluester verb Confess 1. q. 3. Nauarrus cap. 9. num. 19. Paludanus in 4. d. 17. q. 5. art. 3. Valentia de qual. Confess. sub finem.

Suarez de Confess disp 22. sect 6 § 3. quando Confessarius peccatorum Pœnitentis non recordatur, eiusmodi vtendum distinctione existimat. Si Confessio per se fuerit inualida, vt si nec fuerit integra, aut debito dolore destituta, iam distinctè tota erit reiteranda; quippe cum in illa vera materia ac Sacramentalis defuerit accusatio. Sin verò per se bona extiterit, ac vera sua forma dun-

taxat caruerit, iam non opus erit eam de integro repetere; sed satis est, si forma duntaxat ad eam accedat: in hoc enim casu necesse non est, vt Confessarius peccatorum pœnitentis recordetur: veluti si absolutio in dies aliquot differatur pœnitenti, dummodo de nouo non peccauerit, rectè dari potest Absolutio, etiamsi Confessarius peccatorum illius non amplius meminerit. Deinde pœnitens, qui Confessionem suam ideo tenetur reiterare, quod per se steterit, quo minus illa bona fuerit, eamque Confessionem repetit, postquam alias malè confessus sit, non solum imperfectæ istius Confessionis peccata debet repetere, sed omnes quoque alias Confessiones reiterare necesse habet, quas à tempore inualidæ istius Confessionis habuit, propterea quod nulla earũ valida extiterit. Fieri autem potest, vt aliquis sua culpa Confessionem aliquam fecerit inualidam, hocque ipso mortaliter peccauerit, postea vero validas quoq; aliquas fecerit Confessiones, quia nimirum citra culpam suam id peccatum exciderit In tali casu nec erit obligatus validas Confessiones repetere, sed illas duntaxat, quæ sua culpa inualidæ extiterunt.

Quoties

Quoties, & quando quis confiteri obligatus sit.

CAPVT VII.

HAc de re Ecclesiæ habemus præceptum in Concil. Lateranensi, vbi agit de Pœnitent. & remiss. cap. *Omnis*, cuius hæc est Sententia. Omnes fideles vtriusque sexus, vbi ad annos discretionis peruenerint, proprio suo Sacerdoti ad minimum semel in anno peccata sua confiteantur. At quomodo (dicet aliquis) cognoscendum est aliquem ad annos discretionis peruenisse? Ad hanc quæstionem optimè respondet Nauarrus in Manuali cap. 21. nu. 33. Quotiescunque (inquit) in aliorum præsentia male facere puer erubescit & malum à bono discernit, aut si interrogatus, sitne bonum alteri suum eripere, eleemosynas pauperibus erogare, punire malos? rectè responderit, signum est eum habere discretionem. Atque ita ex hoc decreto Ecclesiæ cognoscimus, ex quo tempore quisque incipere debeat confiteri, & quoties in anno recipiendum sit hoc Sacramentum. Concilium deinde Tridentinum sess. 14. communem hanc Christianorum consuetudinem laudat & approbat, qua receptum est,

est, vt tempore Quadragesimali omnes peccata sua confitendo huic Ecclesiæ præcepto satisfaciant.

Verum hic nobis aliqua dubia occurrunt. Primo, si quis in Quadragesima confiteri vel non potuisset, vel non voluisset, estne talis obligatus subito post festum Paschatis confiteri, an differenda erit Confessio in sequentem Quadragesimam? Soto in 4. d.18. q.1 art.4. Medina de Confess. qu.14.§.4. Nauarrus cap. 21. num. 45. Valentia disp.7. qu.9. de Confess. punct. 4. Suarez de Confess. diss. 36. sect.3. putant eum obligatum esse post festum Paschatis confiteri, non quidem sub pœna noui peccati, verum ideo, quod quo diutius protrahit Confessionem, eo magis aggrauetur peccatum, quo præceptum Ecclesiæ est transgressus, perinde vt qui restitutionem facere differt, hic eo ipso suum quoque peccatum auget & aggrauat. Ratio hæc est: Quod cum hoc Ecclesiæ præceptum de confitẽdo semel ad minimum in anno ad fidelium vtilitatem sit institutum, non ad certum nos tempus obliget, quemadmodum præcepto de ieiunando ad certum tempus vigiliarum astringimur. qui enim illo tempore non ieiunat, peccat quidẽ; sed non est obligatus sequenti die ieiunare: præceptum verò de cõfitendo in Quadragesima ita nos ad certũ tempus alligat, quemadmodũ obligatio debiti,

biti, quod qui præfinito tempore non soluit, tenetur soluere postea quam potest citissimè. Non enim intentio Ecclesiæ est ab obligatione confitendi, quempiam liberare, vt in sequentem vsque annum differat Confessionem, quin potius confitendum est illi, quam primum per occasionem licuerit, præsertim cum certum sit eam Confessionem illi futuram vtilissimam, & fieri non incommodè posse. Confirmatur hoc Ecclesiæ consuetudine, qua qui huic præcepto satisfacere neglexerunt, non excommunicantur duntaxat, sed nec absoluuntur, donec iterum confiteantur, quod signum satis est manifestum, eos obligatos esse confestim post Quadragesimam confiteri. Simili obligatione tenentur omnes ij, qui ob denegatam sibi Confessarij copiam confiteri non potuerunt. Dicunt præterea citati Authores, eum, qui legitimo tempore confiteri neglexerit, nisi mox oblata occasione confiteatur; elapso anno non posse habere Contritionem sufficientem ad obtinendam gratiam citra Confessionem, quia scilicet obligatus manet actualiter confiteri; vnde si, confiteri cum possit, non confiteatur, perseuerat in peccato: ideoque neque Contritionem habere potest sufficientem ad dispellendum peccatum.

Alterum dubium est: si quispiam nec

mor-

mortali, nec veniali peccato sit obstrictus, ad quid talis obligetur. Respondet Alexand. ab Ales cap. 6. num. 30 talem obligatum esse Sacerdoti se præsentare, & generaliter confiteri se esse peccatorem. Communis tamen sententia est, nulla omnino in tali casu eum teneri obligatione: præceptum enim Ecclesiæ requirit, vt quis Sacerdoti confiteatur omnia sua peccata. Si igitur nullius sibi peccati conscius est, sequitur quoque eum obligatum non esse ad Confessarium accedere.

Tertio quæritur: si quis in Confessione sua Quadragesimali tempore facta, citra culpam suam, alicuius peccati mortalis fuerit oblitus, cuius postmodum recordetur, estne talis obligatus eiusmodi peccatum statim confiteri, aut Confessionem in sequentem annum differre potest? Respondeo: Si pœnitens peccati istius mortalis, quod in Confessione illi exciderat, ante communionem recordetur, tenetur illud ipsum confiteri; si vero eius recordetur post communionem; anno nondum elapso, secundum aliquos adhuc illud tenetur confiteri, vt satisfiat videlicet Ecclesiæ præcepto, quo iubemur omnia nostra peccata semel in anno confiteri. Quod si vero eius peccati recordetur post elapsum iam annum, poterit eius Confessionem differre in annum se-

quentem:

quentem: quia iam Ecclesiæ præcepto est satisfactum. Hãc sententiam Ledesima quoque 2.p.q 6. du,7. amplectitur. Alij simpliciter astruunt, cum Ecclesiæ præcepto non obligari ad confitendum quamprimum id peccatum, quod illi ex memoria exciderat, sed rectè eius Confessionem in sequentem annum differri posse. Huic sententiæ subscribunt Victoria in summa 137. Nauarrus cap.2.num.10.& Suarez disp.36 sect 3 §.duo, de Confessione. Ratione nituntur ista. Ille Ecclesiæ præcepto satisfacere censetur, qui confitetur omnia peccata, quæ per istum annum post sufficientem conscientiæ examinationem commisisse se potest meminisse Talis vero confessus est omnia peccata, quæ cõmisisse se recordari potest. Ergo & Ecclesiæ præcepto satisfecit, & per consequens eo anno non vlterius est obligatus. Quæ sententia etsi tolerari possit, tamen magis mihi arridet Ledesimæ opinio: videtur enim mihi peccatum illud omissum ad præcedentis anni pertinere Confessionem. Ergo cum annus finitus necdum sit, neque quicquam obstet, quo minus confiteri illud possit, non videtur eius Confessionem in sequentem annum esse protrahendam.

Quarto quæritur: si quis ante Quadragesimam confiteatur, satisfaciatne Ecclesiæ præcepto? Sunt qui putent probabilius partem

tem negatiuam defendi posse; eo quod communi totius Christiani orbis consuetudine à S quoque Concilio Tridentin sess.14. recepta, obligamur confiteri tempore Quadragesimali. Idem sentit. Io. Medina de Confess quæst.14 cui consuetudini illa etiam accedit ratio, quod omnes Parochi in Quadragesima in non confitentes inquisitionem facere soleant; vnde manifestum euadit præfato isti Ecclesiæ præcepto de semel in anno confitendo Quadragesimali tempore, esse obtemperandum, cum alioquin eiusdem præcepti transgressores post festum Paschatis puniri non possint. Quamuis hac in re Gregor. de Valentia de Confess. puncto 4. disput. 7. quæst. 9. Medinæ aduersetur Mihi placet distinctio ab alijs proposita, inter quos est & Suarez de Confessione, quæ (præsupposito, quod per annum intelligatur annus Ecclesiasticus, qui à Quadragesima ad Quadragesimam extinguitur) est talis: Qui extra Quadragesimam semel aut amplius in anno confessus est, ille in Quadragesima vel remorsum aliquem sentit in conscientia sua ob mortale peccatum, vel non sentit. Si nullum sentit remorsum, non est obligatus confiteri. Præceptum enim (vt alibi dictum est) illum duntaxat obligat, qui mortaliter peccauit. Sin vero conscius sibi

sit

sit alicuius peccati mortalis, iam obligatus est, idipsum confiteri in Quadragesima, etsi ad communicandum non sit astrictus. In illo enim capite: *Omnis vtriusque sexus*, statuitur, vt vnusquisque peccata sua ad minimum semel in anno confiteatur. Iam vero in Quadragesima, durante adhuc anno Ecclesiastico, obnoxius est peccato mortali, quod non est confessus: ergo obligatus est idipsum confiteri, antequam annus iste elabatur. Hæc sententia communi Ecclesiæ consuetudine confirmatur, quæ eius legis est optima interpres.

Quinto quæritur: si quis in Quadragesima confessus non obtineat Absolutionem, an talis satisfaciat præcepto Ecclesiæ? Respondeo. Si per illum stet, quo minus obtineat Absolutionem; quia fortè voluerit in peccato perseuerare, aut Confessionem debito modo non instituerit, tum præcepto non satisfacit: Confessionem enim à Christo ordinatam bonam esse oportet. Vnde si per illum stet quo minus absoluatur, certissimum signum est, Confessionem non fuisse bonam; & sic neque præcepto satisfieri. Si vero præter suam culpam illi denegetur absolutio; quia Confessarius illam bono aliquo fine in aliud tempus distulerit, iam præcepto satisfacit Quod si vero ob morbũ Confessarij, aut aliam quandam causam aciden-

cidentalem Absolutionem non consequatur, tum præcepto non satisfacit; quia sic non reciperet S. Synaxin: vnde denouo confiteri obligatus est ad obtinendam Absolutionem. Ita Soto arbitratur, quem sequitur Suarez de Confess. distinctio. 36. sect. 7. §. 4.

Sexto quæritur: Cui pœnæ subiaceat, qui præceptum istud violauerit? Respondeo: Id cognoscendum esse ex illo capite: *Omnis vtriusque*. & illo: *Vt arceatur ab ingressu Ecclesia, & priuetur sepultura*. Notandum tamen est, talem à iudice oportere condemnari. Est præterea Excommunicatio Episcopalis, quæ in Ecclesia contra huius præcepti transgressores solet fulminari. Præterquam vero quod ex præcepto Ecclesiæ semel ad minimum in anno confiteri obligamur; Iure quoque diuino cogimur confiteri in sequentibus casibus.

Primo quotiescunque aliquis communicare instituit, aut celebrare Missam, tum, si peccati mortalis sibi sit conscius, primo debet confiteri, etiamsi ipse sibi videatur habere Contritionem. Ita statutum est à Concilio Tridentino sess. 13. cap. 7. quod Paulum citat, 1. Corint. 1. cap. 11. eiusque hoc dictum: *Probet autem seipsum homo*, de Cõfessione: atq; hoc: *Et sic de pane illo edat*, de Communione interpretatur, ita, vt Communionem neces-

ſario præcedere debeat Confeſſio. Intellige, niſi copia Confeſſarij denegetur. Quemadmodum recte annotat Nauarrus cap. 2. num. 9. Vnde mox ſubiungit præfatum Concilium, ſi Sacerdos quiſpiam, vrgente neceſſitate citra præuiam Confeſſionem celebrauerit, illi poſtmodum occaſione ſe offerente eſſe confitendum. Hic dubium occurrit tale. Si ſecularis quiſpiam in caſu neceſſitatis ob Confeſſarij defectum communicauerit nulla præuia Confeſſione, eſtne talis obligatus confiteri confeſtim poſt Communionem, quemadmodum à Concilio Tridẽtino cap. 2. num. 10. Sacerdotibus eſt iniunctum? Nauarrus partem tuetur affirmatiuã, ob ſimilitudinem ſcil. rationis. Si quis enim à Concilio quid in hoc caſu de homine ſeculari ſentiendum ſit, petijſſet, qui communicauerit nulla præuia Confeſſione ob Confeſſarij defectum, procul dubio idem reſpondiſſet, quod de Sacerdotibus reſpondit. Hæc Nauarri ſententia mihi videtur non improbanda, quam multi etiam moderni Authores amplectuntur.

Secundo obligati ſumus confiteri in articulo mortis, idque *de iure diuino*; cum enim præceptum illud ſit affirmatiuum, obligat in tempore neceſſitatis, maxime inſtante periculo mortis, ſecundum communem Theologorum opinionem in 4. diſtinct. 17. quam

quam ſequitur Nauarrus cap. 2, num. 9. Victoria qu. 134. Vbi notandum, per articulum mortis non tantum morbum aliquem grauem ac periculoſum eſſe intelligendum, ſed quoduis etiam periculum, in quo de hominis vita agitur, vt ſi, verbi gratia, in acie veniendum ſit ad manus, ac prælium contra hoſtes ineundum, ſi naufragium immineat, aut ſi quis febri maligna infeſtetur. His adijciunt nonnulli tempus primi partus, aut quando partus ſolito eſt difficilior, ſecundum Hoſtienſem & Panormitanum, quos citat Nauarrus cap. 2. num. 9. ſub finem.

Tertio etiam obligatus eſt ad Confeſſionem, qui peregrinationem aliquam longinquam in terras infidelium inſtituit, aut nauigationem talem, vt probabiliter credat toto iſto anno defuturam ſibi commoditatem confitendi; maximè vero, ſi caſum aliquem habeat reſeruatum, nec deſit, per quem, antequam profectionem ſuſcipiat, abſolui poſſit, qua poſtea illi erit carendum. Ita ſentiunt Durandus in 4. diſt. 7. qu. 10 Nauarrus in Manuali cap. 2. num. 10. Valentia de Confeſſ. punct 4 & alij plures, qui citantur à Suarez de Confeſſione diſput 36 ſect. 5. Ratio hæc eſt: Quod ſi tum voluntarie non confiteatur, ipſe ſibi videtur amputare occaſionem obtemperandi præcepto Ec-

clesiæ de annua Confessione instituenda.

Quartò si quis iuramentum aut votum fecerit, aliquoties per annum confitendi: talis toties per annum confiteri debet, quoties se confessurum iuramento vel voto obstrinxit, alioquin peccaret mortaliter, secundum Nauarrum in loco citato.

Quinto confiteri tenetur, qui persuasum sibi habet, se citra Confessionem peccatum aliquod mortale non posse euitare. Si enim ad euitandum peccatum obligatus est, iam etiam obligatus erit amplecti medium ad id necessarium, quod secundum suam opinionem sola est Confessio. Ita sentit Caietanus verbo Confessio, Petr. Soto de Confess. lect. 5. & Suarez de Confess. disp. 35. sect. 3. §. circa.

Sexto confiteri obligatur, qui per conscientiam erroneam certo credit se ad confitendum esse obligatum: tum enim vel deponenda illi est erronea illa conscientia, aut si illam deponere non possit, necessario est confitendum, alias peccat mortaliter. Aliqui, veluti Marsilius in 4. quæst. 12. & Gregor. de Valentia citatus, item Ioannes Maior, qui allegatur à Nauarro cap. 21. num. 35. septimum adiungunt casum; quando videlicet aliquis putat se in Quadragesima omniũ suorum peccatorum non posse recordari.

ratione

ratione nituntur ista, quod omnes teneantur *de iure Diuino* integram facere Cōfessionem. Qui vero eam differt ad finem anni, moraliter certus est, se eam non facturum integram, quia putet fore, vt aliquorum obliuiscatur. Ergo obligatus est eam facere, dum adhuc eorum omnium recordatur. Verum hoc vtile magis est consilium quam necessarium; quemadmodum recte notat Victoria de Confess. q. 132. & Nauarrus cap. 21. nu. 35. cum enim nullo ad id præcepto, vel ratione necessaria obligemur, satis est ad integritatem Confessionis ea duntaxat peccata cōfiteri, quorum quisque recordatur post legitimam conscientiæ suæ institutam examinationem. Quemadmodum idem affirmat Concil. Trident. sess. 14. cap. 5.

Illud quoq;, quod Gerso ait, in Tractatu de pœnitentia, obligatum esse vnumquemque, simulatque peccauerit, peccatum suum è vestigio confiteri, non obligat de iure diuino, quemadmodum ille arbitratur, cum præceptum sit affirmatiuum, quod non obligat quouis tempore. Recte tamen facere censendi sunt, qui consilium tam salutare non aspernantur.

Quæ peccata vnusquisque confiteri obligatus sit.

CAPVT VIII.

PRimo præsupponendum est, omne peccatum, ex libera nostra voluntate profectum, nisi per inuincibilem aliquam excusetur ignorantiam, materiam esse Confessionis. Dico, nostra voluntate, quod ad peccati naturam necesse sit voluntatis nostræ accedere consensum. Secundo requiritur, vt in potestate nostra sit illud ipsum facere vel omittere, & idcirco dicitur libera. Verbi gratia: Primi motus à voluntate nostra sunt, quia tamen in nostra non sunt potestate, non sunt liberi, & per consequens neque dicenda peccata. Exempli causa, simulatque aliquis hostem suum conspicit, subito se sentit ad odium commoueri, hoc cum in hominis potestate non sit prohibere, non est peccatum. Tertio, vt aliquod dicatur peccatum, necesse est, vt sciat aliquis idipsum alicui præcepto aduersari. Si enim rusticus aliquis nesciuerit, nec scire potuerit hodie festum esse ab Episcopo indictum, non peccat laborando, quippe cum ignorantia excusetur. Notandum deinde est, duplex esse peccatum, mortale ac veniales;

le:illud cum gratia & amicitia nos priuet diuina, reddit nos mancipia diaboli, & reos æternæ pœnæ; veniale vero refrigeſcere in nobis facit charitatem, ad peccatum mortale nos diſponit, ac pœnæ nos obnoxios reddit temporali.

Iam redeundo ad materiam noſtram, certum eſt, hominem duntaxat obligari ad confitenda peccata mortalia, quæ nunquam legitime ſit confeſſus. Vnde ſi quis cum peccatis mortalibus coniunxerit quoque venialia, non etiam ea confiteri neceſſe habet. Si quis tamen venialia quoque confiteatur, non ſolum non peccabit, ſed pie etiam facere cenſendus eſt, vt paulo poſt oſtendetur. Hinc eſt quod peccata venialia dicantur materia voluntaria Confeſſionis, mortalia vero materia neceſſaria. Et hæc eſt doctrina S. Thomæ 3 parte, quæſt. 85. art. 1. ad 8. ab ipſo quoque Concilo Tridentino approbata, ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. vbi vtile quidem eſſe affirmat & honeſtum peccata venialia confiteri, at citra culpam etiam omitti poſſe.

Certum etiam eſt, quod ſi aliquis ex deuotione ac humilitate peccata confiteri velit, quæ ante Baptiſmum acceptum adhuc infidelis commiſit, recte id eum facere poſſe, etiamſi per Baptiſmum deleta ſunt, perinde vt recte etiam ea peccata quis confiteri po-

teſt, quæ alias eſt confeſſus, & à quibus iam legitime eſt abſolutus.

Indubitatum etiam eſt, in aliquibus caſibus aliquem obligari venialia quoque peccata confiteri. Primus caſus eſt, ſi dubitet pœnitens de aliquo peccato, mortalene ſit an veniale: in dubijs enim id quod ſecurius eſt, eligendum eſt. Ita exiſtimat Medina in tractat. de Confeſſ. quæſt. 5. Nauarrus in Manuali cap. 23. num. 34. Secundus caſus eſt, ſi timeat ſe lapſurum in peccatum mortale, niſi veniale confiteatur. Quam ſententiam ſequitur S. Bonauentura in 4. ſent. diſt. 16. ſub finem; item Nauarrus in Manuali cap. 21 num 34. Tertius caſus eſt, ſi iuramento, voto aut inſtituto aliquo ac regula religionis ad confitenda venialia peccata ſit aſtrictus. Caietanus in Opuſculis Tom. 1. qu. 1. de Confeſſ. dicit: Benedictinos, qui Clementina (*Ne in agro*) obligati ſunt ſingulis menſibus confiteri, ſi nullius peccati ſibi ſint conſcij, obligatos eſſe venialia peccata confiteri. Idem etiam Nauarrus affirmat in Manuali cap. 2. num. 9. Valentia Tomo 4. d 7. qu. 9 de Confeſſ. puncto 3. Sequuntur dubia aliquot, quorum primum eſt. Si quis in Quadrageſima, quando videlicet ex præcepto Eccleſiæ omnes obligamur ad Confeſſionem, nullius ſibi peccati mortalis ſit conſcius, anne talis etiam peccata venialia confiteri neceſſe

habeat

habeat? Sunt qui partem tueantur affirmatiuam, præsertim si nullo peccato mortali sit obnoxius, cũ in illo cap. *Omnis vtriusq; sexus,* dicatur: Omnes fideles debere peccata sua confiteri. Quare cũ venialia peccata verè etiã peccata sint, etiã erunt confitenda, vt scilicet præceptũ Ecclesię adimpleatur. Et si quęras: Quomodo fieri possit, vt qui raro aut semel duntaxat in anno confitetur, tot peccatorũ venialium possit recordari? Respondeo: non esse necesse illa confiteri eo modo, quo peccata mortalia confitemur; sed satis esse, generaliter dicere, multa nos admisisse peccata venialia, aut in specie aliqua venialia recensere, reliquis sub clausula aliqua generali comprehensis. Alij, qui rationibus nituntur efficacioribus, contrarium defendunt: Ecclesia enim ordinauit, vt Confessio, à Christo instituta, semel ad minimum fiat in anno. Iam vero ea Confessione, quæ instituta est à Christo, non obligamur ad Confessionem peccatorum venialium, quæ (vti dictum est) non sunt materia necessaria Confessionis, sed voluntaria. Ergo Ecclesia non obligat nos ad confitendum peccata venialia. Vnde necessario sequitur eum, qui peccata tantum habet venialia, non teneri ad eorundem Confessionem Hæc est communior & verior sententia, quam non exigua pars grauissimorum Virorum amplectitur,

ctitur, qui citantur à Suarez de Confess. dist. 36. sect. 2.

Quod vero attinet ad præfatum dubium, certum est rem esse vtilissimam, & omni Christiano dignam, venialia etiam peccata confiteri. Hoc etiam affirmat Concil. Trid. loco citato. Vtilitates inde resultantes hæ sunt. Primo augetur gratia virtute Absolutionis, quæ conformis est dispositioni pœnitentis. Secundo minuitur pœna Purgatorij. Tertio amittitur habitus aut facilitas illa & inclinatio ad venialia peccata perpetranda: dum enim quis cogitat omnia sibi venialia peccata esse confitenda, haud dubiè ab ijsdem abstinebit.

Occurrunt hic scrupuli aliquot. Primus est: An in Confessione peccatorum venialium necesse sit habere dolorem & propositum ea non amplius in posterum committendi? Respondeo: Etsi varijs modis deleri possint peccata venialia; tamen quando de eorum remissione loquimur, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ, necessario requiritur aliquis dolor, veluti attritionis, itemque propositum eadem non amplius in posterum committendi. Ratio hæc est, quod detestatio peccatorum vna sit ex partibus necessarijs huius Sacramenti. Ergo necesse etiam est, vt pœnitens de peccatis venialibus doleat, eaque, quæ confitetur, explicite

plicite detestetur: alioquin enim non foret perfectum hoc Sacramentum. Similiter dicendum est de proposito ea non amplius committendi. Cum enim huius Sacramenti scopus ac finis sit emendatio peccatorum, quæ confitemur, certum est ad hanc pœnitenti quoque necessariam esse voluntatem ea peccata non reiterandi, quæ voluntas propositum illud est, de quo hic agimus. Etsi autem verum quidem sit, quod illud propositum explicitum esse non sit necesse, sed tantum virtuale sufficiat: tamen satius est ac tutius, si propositum illud expressum sit, maxime si pœnitens de futuris peccatis venialibus cogitet. Idem dicendum est de peccatis mortalibus, quæ alias legitime confessus sit, & à quibus iam sit absolutus, cum eadem sit ratio horum, quæ fuit peccatorum venialium.

Secundum dubium est tale. Ponamus aliquem decem peccata venialia confessum esse de quorum quinq; tantum habeat dolorem, ac propositum ea non amplius committendi, validane erit censenda hæc Confessio, nec ne? Sunt qui hoc modo confitentem putent mortaliter peccare; quia scilicet pars materię non est apta ad obtinendam absolutionē, & per consequēs talē Confessionē esse inualidā. Suarez tamē de Pœni. d. 20. sec. 6. § 6 propter materiæ leuitatē existimat nō peccare mor-

taliter, qui ita confitetur, neque defectum huius doloris aut propositi quinque ista peccata venialia concernentis impedire, quo minus à reliquis istis quinque peccatis venialibus absolui rectè possit, modo rectè ea sit confessus cum dolore ac proposito ea non amplius committendi: vnum enim peccatum veniale, citra alterum remitti potest. Præterea, si quis in Confessione peccatum aliquod veniale supprimat, aliud vero confiteatur, non facit Confessionem inualidam, multo minus reddetur inualida, si peccatum aliquod debito modo non confiteatur.

Tertio dubitatur, cuiusmodi censendum sit peccatum, si quis vni Confessario omnia sua peccata confiteatur, alteri vero confiteatur tantum sua peccata venialia, aut peccata aliqua mortalia ex leuioribus iam ante confessis? Syluest. v. Confess. qu. 6. existimat talem peccare mortaliter, cum sit hypocrisis & mendacium, si non ipso actu at saltem potestate, dum videlicet Confessarium suum ordinarium fallit, persuadens illi nulla alia à se peccata commissa esse. Victoria in summa, nu. 196. dicit: Quod si talis animum habeat eiusmodi modum confitendi continuare, tũ peccare mortaliter, si vero id semel tantum vel bis fecerit ex fragilitate, putat non esse peccatum mortale. Nauarrus in suo Manu-

ali

ali cap. 21. nu. 40. & Suarez de pœnitent. disp. 22. sect. 1. § 12. existimant id non esse peccatum mortale; quia non ita deformiter hic contra Charitatem Dei vel proximi peccat, neque vllum asseritur mendacium, demum neque omne mendacium in Confessione est peccatum mortale.

Alij dicunt hunc actum ex fine esse existimandum, qui potest esse triplex: vel enim peccatum mortale in se continet, vel veniale, vel etiam potest esse bonus. Verbi gratia: Si quis id faceret, ne Confessarium suum scandalizaret, bonamque suam existimationem apud ipsum retineat, hoc fine, ne ab eo deseratur, in ijs præsertim rebus, in quibus à Confessario ad progressum in vita spirituali faciendum non mediocre expectet adiumentum, hic non peccaret; si verò id procedat ex superbia, ne scilicet vel reprehendatur, aut pudore afficiatur, tum veniale erit peccatum. Mortale etiam peccatum erit, si quis id faciat hoc fine, vt Confessarium suum eludat, maioremque nanciscatur commoditatem mortaliter peccandi; aut si hoc ipso in periculum se mortaliter peccandi conijciat.

):(

De fine Confessionis Sacramentalis.

CAPVT IX.

Confessio æquiparari potest primò spirituali animæ medicinæ, & sic finis eius est Sanitas animæ, quæ obtinetur mediante gratia, quæ per hoc Sacramentum confertur. Deinde considerari poterit, vt sacrum tribunal & iudicium, in quo causa pœnitentis agitur, & tum finis eius erit, vt pœnitens, qui rei partes agit, à peccatis suis absoluatur. Hinc omnes ij peccant, quorum finis in Confessione est vanæ gloriæ, aut bonæ existimationis aucupatio. Hic verò (quemadmodum annotat Nauarrus cap.21.nu.40) vanæ gloriæ potissimum causa confitetur, qui tanti aut pluris vanam gloriam æstimat, quanti ipsam Confessionem & Absolutionem.

Quærat aliquis: Si quis vanæ gloriæ causa confiteatur, peccatne mortaliter, an verò venialiter? Respondeo: Interdum venialiter, veluti, si quis confiteatur vt bonus esse videatur ac deuotus, quo ab alijs honoretur ac æstimetur: Nonnunquàm verò mortaliter, vt si confiteatur ad conciliandam sibi fidem, quò cõmodius deinde aliorum mercibus fidei suæ concreditis eos circumueni-

re, ac

re, ac bonorum aliqua magna parte defraudare possit. Nauarrus citato loco allegat doctorem quendam, asserentem omnes eos peccare mortaliter, qui vanæ gloriæ captandæ gratia eas exercet actiones, quæ cultui diuino præcipuè sunt dedicatæ, cuiusmodi sunt concionari, celebrare Missam, sacramēta administrare seu percipere, & similia. Quę doctrina etsi non sit recepta, nihilominus tamen apud omnes Doctores in Confesso est, grauissimè peccare eos, qui in confessionibus suis alium sibi propositum habent finem, quam vt gratiam & amicitiā sibi acquirant diuinam, peccataq; sua deleant, quibus nihil est, quod æquè Deo displiceat, nostræque aduersetur saluti. Præterea si verū est, vti est verissimum, res sanctas sanctè peragendas esse, certè summo studio annitendum est, vt purè ac sanctè perficiatur confessio, quæ à Christo Domino est instituta ad mundandas & sanctificandas animas nostras. Grauiter igitur delinquunt, quicunq; ad Confessionem accedunt alicuius officij aut beneficij consequendi, vel lucri temporalis captandi causa, dum videlicet Confessione, quæ res est sancta ac diuina, ad res abiectas & terrenas acquirendas abutuntur. Quid mirum, si hoc modo inter Christianos crescat hypocrisis? si quis enim Confessione ad eiusmodi scopum successu aliquo abuti cœperit, nō ab

sistet,

ſiſtet, donec hoc modo maioris indies deuotionis ſpeciem præ ſe ferendo, in ſummum tandem euadat hypocritam. Qua ex re mirum, quantum lætitię voluptatisq; percipiat diabolus, cum quia præpoſterè inſtitui ſacram Confeſſionem videt, tum verò quod ea infici potius ac pollui, quàm purgari homines animaduertat.

De vtilitate frequentis Confeſsionis.

CAPVT X.

SIniſtrum omen eſt, ſi in terram prolapſus homo, non continuò reſurgat. Prolabi ſubinde in peccata, & de reſurgendo parum ſollicitum eſſe, mediante ſcilicet Pœnitentiæ ac Confeſsionis Sacramento, malum indiciū eſt: perinde vti & malum indicium eſt in ægroto, ſi medicum auerſetur. Vnde beatum prædicat eum Dauid Pſal. 1. qui non ſedet *in cathedra peſtilentiæ*, quod nihil eſt aliud, quàm in peccatis perſeuerare. Item in Prou. cap 24. dicitur: Septies in die cadet iuſtus, & reſurget: impij autem corruēt in malum. Si ergo in peccatum labi malum eſt, peius verò in eo perſeuerare, neceſſariò ſequetur, rem ſanctiſſimam eſſe maximaque cum vtilitate coniunctam, ex peccatorū ſordibus quàmcitiſſime reſurgere. Atque hęc medicina (vt rectè dicit Caietanus in ſum

verb.

verb. Confess. cond. 5.) valde conseruatiua est hominis in timore Dei: timor enim non offendendi Deum, est maximum fortissimumque frenum, quod hominem à peccato retrahit, neq; facile eũ offendere permittit.

Confessionem autem efficax esse medium, quo homo contineatur in timore Domini, verum esse experiuntur ij, qui subinde hoc Sacramentum frequentant. O quanta peccata persæpe intermittuntur non aliam ob causam, quam ob hanc solam, quod homo cogitet sibi die Dominica esse confitendum: hoc enim modo conseruatur in timore Dei, quo fructu sanè destituuntur ij, qui rarò ad confessiones accedunt: hi enim tanquam equi nullo adhibito fræno, quam frequentissimè offendunt.

Altera frequẽtis Confessionis vtilitas hæc est, quod per eã augeatur gratia, & pœnæ tẽporales relaxentur: fieri enim potest (quemadmodum dicit D. Thom.) vt toties aliquis confiteatur, & tã benè, vt nullæ omnino illũ pœnæ maneant in Purgatorio sustinendæ.

Tertius fructus est, quòd conscientiam teneram reddat ac delicatam confessionis frequentatio, vt cuiusuis etiã venialis culpæ remorsum facilè sentiat. Hinc prudens & circumspectus efficitur homo, vt peccatum deinde non facile admittat, sed veneni in modum detestetur atque abhorreat. E contrario ve-

rio verò, qui raro confitentur, facilè omnem conscientiæ remorsum amittunt, adeò, vt maxima quæuis ac mortalia peccata ceu leuissima contemnant, facillimeque in priores sordes relabantur.

Quarta vtilitas frequentis Confessionis vel hinc facilè cognoscitur, quod facilius sit eluere maculas recentes, quàm inueteratas. Peccatum vt natura sua malum est, ita nihil operatur nisi malum, sicubi moretur diutius, quantoque in anima hæret diutius, tanto plus in illa scabræ rubiginis relinquit. S. Greg in Hom. 11 in Ezechiel. dicit, vnum peccatum pondere suo aliud secum trahere, ideoque peccatorem semper in peius ruere: quo pondere nisi frequenti Confessionis vsu alleuetur, à tetra ista peccati rubigine nunquam purgabitur, ipsoq; temporis progressu deterior euadet. Huius rei conuenientissimum apparet exemplum in vase impleto terra, quæ si non nimis diu in illo hæserit, facilè verso vase excidet, vasque ipsum purgabitur; sin verò per quatuor aut quinq; menses, aut annum integrum in vase conclusa teneatur, iam vix ligno ferroue ita eximi aut expurgari poterit, quin vasis laterib⁹ sordiū aliquid adhærescat: pari ratione animę solet accidere, quæ nimis diu in peccatis perseuerat.

Quintus frequentis confessionis fructus hic est, quod amputet occasionem obliuiscendi

ſcendi peccata. Memini quidem ſuperius di-
ctum eſſe, pœnitentem teneri ea tantum
peccata confiteri, quorum poſt accuratum
conſcientiæ inſtitutum examen recordatur:
verùm cùm non leuis quælibet, ſed accura-
tiſſima requiratur examinatio, ſanè non exi-
guus erit labor diſpicere, an cōſcientiam tu-
am in reuocandis ad animum omnibus pec-
catis, ritè legitimeq́; examinaueris; quo la-
bore planè liberatus eſt, qui frequēter confi-
tetur: facilius enim illi erit ſuam conſcien-
tiam examinare, certiuſque ſciet, nulla à ſe
peccata in Confeſſione eſſe omiſſa.

Sexta frequentis Confeſſionis vtilitas hęc
eſt, quòd conſuetudo & habitus peccandi,
frequenti Confeſſione interrumpatur. Qui
enim ad Confeſſionem accedit, primò, de
peccatis admiſſis doleat neceſſe habet; dein-
de, vt præſentia peccata relinquat; tertiò de-
mum requiritur, vt apud animum ſuum con-
ſtituat ea non amplius in poſterum commit-
tere: quibus modis peccatorum conſuetudo
penitus tollitur. Quam verò magni momen-
ti res ſit, peccati curſum interrumpere, mi-
ſerrimi iſti norunt peccatores, qui nunc æ-
ternis gehennæ cruciatibus in inferno aſſi-
duò excarnificantur, non aliam ob cauſam,
quàm quod in peccatis perſeuerantes, fre-
quentis Confeſſionis præſentiſſimum reme-
dium adhibere neglexerint.

Septima

Septima demum vtilitas frequentis Confessionis est, quòd certam pœnitenti impertiatur fiduciam salutis æternæ consequendę, qua carendum est ei, qui rarò accedit ad Cōfessionem. Et quò facilius illud intelligas, dic mihi sodes, quis te securum præstabit à morte subitanea, qua oppressi sunt multi te iuniores simul ac saniores? Iam quantus illorum est numerus, qui quoniam citra Confessionem ac Contritionem ex hac vita discesserunt, æterna vita infelicissimè sunt priuati? qui si frequenter Confessionis vsi fuissent remedio, nunquam in tantas miserias fuissent prolapsi. Vnde facile est intelligere, quantis semetipsos exponant periculis, qui peccatorum mortalium pœnitentiam ac Confessionem in Quadragesimam protrahere non verentur. Qui verò singulis mensibus confitetur aut septimanis, à tanto periculo est immunis: dum enim frequenter confitetur, semper præparatus est ad mortem. Et sanè maxima est (mihi credite) insania, frequenter in morbos incidere, medicina verò frequenter vti non velle.

Sitne consultum peccata aliqua particularia frequenter confiteri, idq; eidem Confessario, an diuersis.

CAPVT XI.

Circa hanc materiam consideranda veniunt

niunt quædam ex communi Theologorum doctrina desumpta, de quibus nulla omnino est dubitatio, nimirum ex Caietano Tractat. 5 de Confess. qu. 4. in 1 Tomo Opusc. Medina quæst. 25. de Confess. & Nauarro ca. 9. & alijs. Primò, certum est, neminem obligari ad confitenda peccata semel legitimè confessa, & à quibus iam absolutus est: peccatum enim semel remissum ac deletum, nō amplius redit. Secundò, indubitatum est, errare eum, qui sæpius redit ad eadem peccata confitenda propter scrupulorum inquietudinem. Vnusquisq; enim conscientiæ suæ tranquillitatem procurare obligatus est: iam verò eiusmodi scrupulosa repetitio conscientiam, animam, ac ipsum simul corpus inquietat. Tertiò, apud omnes in confesso est, si talis scrupulosa repetitio fiat cum notabili aliorum scandalo, ac periculo, ne per eam notabiliter lædatur cerebrum pœnitentis, mortale peccatum esse: si verò fiat sine scandalo ac periculo, iam veniale tantùm esse peccatum, cùm propter rationes supra allegatas, tum etiam propterea, quod qui scrupulis torquentur subortis ex Confessionibus iam ante habitis, Confessariorum suorum arbitrio debeant acquiescere; si secus fecerint, indicium est, eos patri suo spirituali non obtemperare: vnde fit, vt crescentibus scrupulis, à multis bonis operibus exe-

quendis impediantur, & hac ratione rectè peccatum censeri poterit eiusmodi inquietudo. Caietanus in quinta Confessionis conditione admonitionem habet notatu dignissimam. Sunt (inquit) nonnulli, subinde Confessionem iterantes, non quòd in veritate scrupulosi sint, sed quia nunquam cum veritate confiteantur id, quod semper confitentur, & nunquam sunt confessi, tanquam Dæmones semper pœnitentes, & nunquam se corrigentes. Vnde nihil mirum, si malè cõtenti & inquieti remaneant. Hac igitur de causa repetendum duxi hic quod capite primo dixi: nunquam sibi satisfacturus erit pœnitens, aut habiturus quietem, nisi ita peccata sua Confessario manifestet, quemadmodum illa Deo credit esse manifesta.

Iam ad dubium nostrum redeundo dico, quòd aliqua peccata denuo confiteri ex deuotione, & conscientia quieta, citraque bonorum operum impedimentum, res sit bona ac sancta: ratio hæc est, quòd in qualibet Confessione noua recipiatur gratia, mediante videlicet virtute Absolutionis Sacramentalis; vnde quo quisq; confitetur frequentius, eò plus gratiæ consequitur. Similiter peccata odisse ac detestari per se bonũ est. Ergo sæpius illa detestari, est melius. Cuius rei exemplum habemus in S. Petro, de quo scribũt Anthores, quoties gallum cantantem audierit, to-

rit, toties doluisse ob peccatum, quo Christum Dominũ abnegauerat. Similiter quoq; S Paulus sæpissimè se accusat, quòd extiterit persecutor Ecclesiæ. Præterea pœna temporalis, quæ restat vel in hac vita, vel in Purgatorio luenda, si non omnino semper tollitur, at certè ad minimum virtute Absolutionis diminuitur. Vnde fit, vt quanto sæpius quis à peccato absoluitur, tanto minus illi pœnarum temporalium supersit persoluendum. Quod tamen de ijs potissimum intelligendũ est peccatis, quæ particulariter ad animum reuocata, tristitiam nobis & terrorem incutiunt potius, quàm delectationem afferant sensui, cuiusmodi sunt peccata lasciuiæ, quorum recordari sæpenumerò citra periculum non possumus, quemadmodum dictum est supra de Contritione cap. 2 dub. 7.

Si quæras ex me: Vtrum melius sit eiusmodi particularium peccatorum repetitionem coram eodem, an verò diuersis Confessarijs instituere? Respondeo: cum maiori fructu fieri id posse, si diuersi Confessarij adhibeantur. Ratio hæc est, quia pœna temporalis nõ tantùm virtute Absolutionis minuitur, sed etiã ipsa verecundia ac pudore, quo afficitur pœnitens, dũ peccata aliqua secreta cõfitetur Et quia maiore quis afficitur verecundia, si diuersis Confessarjs peccata sua exponat, hinc est, quod maiori cum vtilitate

diuer-

diuersi etiam adhibeantur Confessarij; partim quòd hac ratione maiorem superet difficultatem pœnitens; partim etiam, quod coram pluribus aut diuersis se humiliet.

Rectumne sit generalem totius vitæ instituere Confessionem, & quoties illa sit instituenda.

CAPVT XII.

QVam sit res magni ponderis hominem Christianum perfectæ ætatis ac iudicij, Confessionem facere generalem omnium peccatorum per totam suam vitam commissorum, ex ijs, quæ mox dicturus sum, elucescet. Notum cuilibet est, quam ad omne vitiorum genus prona ac procliuis sit iuuentus; item quam eadem obnoxia sit verecundiæ, cum videamus iuniores ex leuissima etiã causa erubescere. Ex vtraq; hac causa intelligitur facilè contingere posse, vt iuniores ex verecundia aliquod peccatum in Confessione subticeant, aut certè, eiusdẽ Circũstantias non, vt oportet, exponant. Quò fit, vt Confessiones, tempore iuuentutis factæ, non immerito multis sint suspectæ. Præterea certum est, vt supra dictum est c. 6. Confessionem, quam non præcesserit accuratissimũ conscientiæ examen; item, in qua non suppletũ fuerit à pœnitente, quod fortè Confessarius interrogare neglexit, inualidam esse.

Iam quis ſcit, an cùm iuuenis fuiſti, tantam adhibueris diligentiam, quantam in conſcientia examinanda ac peccatis ad memoriam reuocandis adhiberi par eſt? Confeſſio quoque, veluti dictum eſt ſupra, quæ deſtituta eſt debita Contritione ac deteſtatione peccatorum, nulla eſt. Iam verò difficile creditu eſt, hominem iuuenili ætate odio habere eas res, quibus tantopere oblectatur iuuentus. Quis ergo ſcit, ſi in iuuentute tua confeſſus fueris cum debito dolore & pœnitentia peccatorum? Demum extra omnem dubitationis eſt aleam, ſi quis confiteatur citra propoſitum peccatum penitus deſerendi, non tantùm non valere Confeſſionem: ſed ſacrilegium etiam committere confitentem, quod peccatum eſt longè grauiſſimum. Iam quis ſcit, an per id temporis, quando feruebat adhuc calidus circum præcordia ſanguis, firmum ſatis habueris propoſitum vitam innouandi ac in poſterum non amplius mortaliter peccandi? præſertim cùm videamus, ſeptimanam ſanctam iunioribus quaſi mille annos videri, præ deſiderio ſcilicet ſolitarum ſuarum deliciarum. Ex his & ſimilibus periculis facillimè te expedies, Confeſſionem generalem rectè ac prudenter inſtituendo: cùm enim pleniori nunc lumine & cognitione illuſtratus ſit tuus intellectus, dubium non eſt, quin huius Sacra-

menti natura accuratius perſpecta, vberiorem quoque ex eo fructum ſis percepturus, præſertim cùm ſedatis iam ac compoſitis affectibus, minus periculi ſit te ab iiſdem in tranſuerſum raptum iri, quemadmodum iunioribus ſolet euenire.

Verùm ponamus caſum, omnes Confeſſiones in iuuentute tua factas, bonas fuiſſe ac validas, quid peccati ſodes erit, generalem inſtituere Confeſſionem? quid diſpendij, ſi noua diligentia purgare tuam conſcientiam annitaris, cùm ſcriptum ſit, Apoc. 22. neminem in hac vita tam ſanctum exiſtere quin adhuc poſſit ſanctificari; nec tam iuſtum eſſe quenquam, qui non poſsit magis iuſtificari. Certum eſt eò melius domum purgari poſſe, quò melius viſu pollet is, qui eam purgat, excellentiusque nobis præberi lumen a face, quàm ab exigua aliqua candela. Tempore iuuentutis rationis tuæ lumen cãdelæ æquiparabatur; at virili ætate comparatur faci. Cùm ergo ad eam ætatem, diuina mediante gratia, perueneris, ad quam peruenire permultis fuit denegatum, æquum etiam eſt, vt eius ætatis lumine vtaris, animamque tuam adhuc iuſtifices ac ſanctifices, exemplum ſancti iſtius Regis Ezechiæ imitatus qui conuerſus ad Deum, dixit: Iſaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Præterea nullus eſt in toto fidelium cætu, qui

qui ſano iudicio prædirus, talem Confeſsionem & animæ vtiliſsimam, & Deo gratiſſimam eſſe, inficias ire auſit, cùm nihil æquè animæ ſit detrimentoſum, & inuiſum Deo, ac peccatum: quippe quod bello contra Deũ moto, regnum cœlorum conetur deſtruere, infernumque animabus noſtris ædificet ac fabricetur. Et quid, quæſo, aliud eſt, generalem inſtituere Confeſsionem, quàm peccatis præteritis nuntium mittere, & armare ſe contra futura? Præterea, ſi nihil aliud ad huiuſmodi Confeſsionem excitare valeat, vel hoc ſolummodò mouere nos debet, & ad eam inſtituendam animare, ſi cogitemus eam rem eſſe non minus animæ fructuoſam, quàm Deo gratam & acceptam.

Præterea generalis Confeſsio pœnitenti occaſionem præbet vitam renouandi, eamque inſtituendi conformiter voluntati ſui Creatoris. Qui enim ſeriò vitæ ſuæ tranſactæ peccata, & offenſiones contra diuinam maieſtatem commiſſas deplorat, neceſſariò vitam cogitationesq; ſuas in melius mutat, aliamque viam ingreditur, quàm hactenus inceſsit; vnde renouatus in ſpiritu, vitam incipit viuere ſpiritualem.

Altera Confeſsionis generalis vtilitas eſt hæc, quòd quò maior eſt dolor, qui ob peccata concipitur, eò quoque maiorem vtilitatem afferre Pœnitenti ſoleat. Dolor autem

crescit ex obiecti magnitudine. Ergo cùm in Confessione generali omnia transactæ vitæ peccata animæ ob oculos ponantur, non est dubium, quin illam quoque excitent ad maiorem dolorem. Vnde pœnitens, tot tantisque offensionibus contra Diuinam Maiestatem sibi ob oculos positis, non potest non omni gestu actuque doloris Contritionisque præ se ferre speciem.

Confessio generalis vehementer etiam hominem exacuit ad Dei Creatoris sui amorem, vt scilicet cum illo reconcilietur ac vniatur. Pœnitens enim, dum ex vna parte omnia transactæ suæ vitæ peccata introspicit, considerando singula ex illis sufficere ad inferni pœnas homini infligendas; ex altera verò parte secum Dei benignitatem perpendit, qui non puniuerit illum secundùm merita sua, sed ad pœnitentiam potius reseruauerit, non potest non illum per omne vitæ suæ tempus supra omnia alia amare, ei ex intimis cordis affectibus gratias agere, ac demum inseparabiliter cum illo reuniri ac reconciliari.

Nec parum sanè confert generalis Confessio ad humiliandum Pœnitentem: dum enim multitudinem ac fœditatem peccatorum transactæ suæ vitæ perpendit, quorum fœtor vel ad cœlum vsque ascendit, nihil aliud se esse existimabit, quàm abyssum immun-

munditiæ, atque ipsum adeò fætorem, nec id immeritò; mirabiturque quod non omnes eum creaturæ fugerint ac detestatæ sint.

Vt igitur ad alterum punctum veniamus, quod hoc capite nobis fuit propositum, nimirum; Quoties eiusmodi facienda sit Cõfessio generalis? Respondeo: Satis esse semel duntaxat eam rectè instituere. Post factam verò semel hanc Confessionem generalem, rectissimè mihi facere videntur ij, qui ex certo tempore ad certum tempus generales Confessiones instituunt; non quidem à vitæ exordio, sed à Confessione generali vltimò facta initium faciendo: sic enim puram seruabunt suam conscientiam, ac Deo placebunt. Neque tamen prohibere cuiquam velim, particularia aliqua peccata grauiora Confessario suo confiteri, idq; eo fine, quò magis ea detestetur, modò tamen citra scrupulum id fiat ac mentis inquietudinem, quemadmodum dictum est capite præcedenti.

Obseruandum verò hîc est, hominibus scrupulosis non esse permittendum, pro libitu suo præteritorum peccatorum Confessiones reiterare, multo minus Confessionem generalem à primo vitæ exordio repetitam, etiamsi ipsis id videatur maximè esse necessarium: sed standum in

hoc casu arbitrio docti & prudentis Confessarij. Qui enim scrupulosis nimiam permittit libertatem, vt plurimum scrupulos multiplicat, conscientiam turbat, maiora ac meliora opera impedit, & tempus perdit.

Occurrit hîc dubium aliquod: Si nimirum quis Confessario suo dicat, se proprio motu velle facere Confessionem generalem, & in ea ipsa aliqua peccata, quæ aliâs confessus sit, reticeat, cuiusmodi illud censendum peccatum? Victoria in summa, num, 166. Ledesima part. 4. quæ. 8. ar. 2 dub. 15. existimant illud ipsum graue peccatum esse, cùm nihil hoc aliud sit, quàm Confessario in re graui velle imponere. Medina de Confess. qu. 14. Nauarrus cap. 21. num. 38. & Suarez de Confess. disp. 22. sect. 7. putánt id non esse peccatum mortale; quia non est dolus alicuius momenti, aut perniciosus, neque ipsi Sacramento contrarius. Præterea peccata mortalia, aliâs in Confessione enarrata, non sunt materia necessaria Confessionis, sed voluntaria, veluti dictum est de peccatis venialibus. Ergo neq; mortale peccatum est, si quis eorum aliqua voluntariè etiam omittat, sed veniale erit in hoc casu: quia species quædã videatur hypocrisis ac simulationis, cùm persuadeat Confessario, præter illa, quæ Confessus est, alia se peccata non commisisse.

De

De Sacro sigillo Confessionis.

CAPVT XIII.

DE Sacro Cõfessionis sigillo illa duntaxat afferemus in medium, quorum cognitionem Pœnitenti necessarium esse iudicabimus. Primò: Sigillum est sacra quædam obligatio non manifestandi id, quod in Confessione fuit auditum: diciturque sigillum, propterea, quòd talis obligatio faciat, vt secreta maneat Confessio, quẽadmodum in literis sigillum efficit, vt secretum maneat, quod in literis consignatis continetur. Vt autem violetur hoc sacrum sigillum, duo concurrant necesse est; primò, vt integra Confessio alicuius, aut certa aliqua peccata ex illa Confessione reuelentur, licet illa sint venialia, quemadmodum notat Nauarrus, cap 8 num. 11. & 12. in eo communem secutus opinionem; alterum est, vt is, qui peccata illa confessus est, aliquo modo prodatur ac significetur.

Quæritur: Estne alicuius momenti ista obligatio, qua quis tenetur secretam tenere Confessionem? Respondeo: Eam esse maioris ponderis quàm vlla alia possit esse obligatio, vel in Ecclesia Christi, vel in mundo

hoc vniuerso; quippe cum Confessario, nec propriæ vitæ, nec regni alicuius integri conseruandi gratia reuelare liceat peccatum aliquod à Pœnitente in Confessione auditũ. Quin imò, si Confessarius aliquis, rumpendo sigillum Confeſsionis, vnius duntaxat peccati reuelatione, saluare ac redimere posset quotquot in Inferno sunt condemnati, non tamen id illi permitteretur. Præterea nulla est potestas in mundo, nec secularis, nec Ecclesiastica, qua cogi poſsit Confeſsarius ad manifestandam alicuius Confeſsionem, & sacrum illud sigillum violandum. Vnde si Iudex aut princeps aliquis Confeſsarium velit cogere exacto iuramento, vt peccatum alicuius manifestet in Confeſsione auditum, securè iurare poterit Confessarius, se idipsum ignorare, nec hoc peccatum in Confeſsione audiuisse, subintelligendo in mente sua, quòd obligatus sit manifestare. Ita dicit Nauarrus, cap. 8. in fine, d. 18. q. 4. art. 6 Dicit præterea Soto in quart. Sent. tantam esse vim huius sigilli, vt si Confessarius aliquis errauerit in aliquo absoluendo, non possit postea ad corrigendum istum errorẽ, citra licentiam eiusdem pœnitentis cum eo ipso tractare de eo peccato in particulari, sed generaliter duntaxat; sic enim licebit ei Pœnitentem ad Confessionem reiterandam inducere. Demum quemadmodum in nul-

lo casu permissum est Sacram Eucharistiam pedibus conculcare, ita ob eandem quoque rationem nullo tempore, in nullo casu, nullius periculi metu sacrum Confessionis sigillum nec verbis, nec signis; directè, vel indirectè violare permissum est.

Vnus tamen casus est, in quo secundùm communem Doctorum opinionem, Confessarius alicuius Confessionem potest manifestare, estque hic, si nimirum Pœnitens illi largiatur licentiam. Illud enim non est violare Confessionis sigillum, cùm pœnitens, (cuius gratia secreta tenetur Confessio) in eiusmodi manifestationem ipsemet consentiat. Notandum autem hîc est, in tali casu Confessario non licere plus reuelare, quàm illi à Pœnitente conceditur, nec vlli alij, præterquam cui manifestari id vult Pœnitens, alioquin enim violaretur sigillum Confessionis. Quæ doctrina est S. Thomæ in addit. quæst. 11. art. 4. Soto dist. 19. q 4. ar. 5. Medinæ de Confess. q. 49. Nauarri ca. 8 & multorum aliorum; qui citantur à Suarez de Confess. disp 33. sect. 5.

Quis verò obligatus est ad tenendam secretam Confessionem? Respondeo: Primò, Confessarius & Superior, ad quem factus est recursus ratione peccati conseruati. Secundò, interpres, si quando per interpretem fiat Confessio. Tertiò, illa persona, cui Confes-

ſarius bono fine, aut conſilij alicuius petendi cauſa, peccatum aliquod cum Pœnitentis permiſſione manifeſtauit. Quartò, omnes ij, quibus fortè ſceleratus ac ſacrilegus quiſquam Confeſſarius Confeſſionem alicuius, citra Pœnitentis permiſſionem, manifeſtauerit, & ſi quibus tales iterum eadem peccata explicauerint. Quintò, ſi qui fortè, dum alius confitetur, aliquid ex Confeſſione eius vel curioſitate, vel caſu, vel alio malo fine, volens ſiue nolens intellexerit. Sextò, ſi quis ex ioco, vel alia mala cauſa Confeſſarij perſona ſimulata, Confeſſionem alicuius exceperit, aut ſi laico ſciens quis ſit confeſſus. Omnes iſtiuſmodi obligati ſunt, ſub pœna peccati mortalis, id quod ex Confeſſione alterius audiuerunt, tenere ſecretũ, etiam tum, ſi Pœnitenti denegetur Abſolutio, quemadmodum exiſtimat S. Thomas in add. q. 11. art 3. Soto diſt. 18. q 4 art. 5 conc. 4 Medina de Confeſſione, quæſt. 46. Ratio eſt, quòd præterquam per eiuſmodi manifeſtationem odioſa fieret Confeſſio, proximo quoque inferretur ignominia, cuius manifeſtatur peccatum.

Verum quidem eſt, quòd præcipuè huic ſigillo obligatus ſit Confeſſarius, qui adminiſter eſt Sacramenti, cui fit Confeſſio, & qui ſub certis pœnis indictis ad tenendam ſecretam Confeſſionem obligatur: alij verò,

de quibus iam diximus, secundùm Caietanum in verbo Confessio, condit.11. quem sequitur quoq; Soto dist.18. q.4. art. 5. obligati sunt sigillo non Confessionis, sed fidelitatis ac Secreti naturalis. Nauarrus tamen & alij quidam, qui ab illo citantur, omnes prædictos, qui quoquo modo quid ex alterius Confessione resciuerunt, volunt teneri & obligari sigillo Confessionis, quorum sententiæ etiam suffragatur Suarez de Confess. disp. 33 sect. 4. vbi multos alios pro eadem sententia allegat Authores.

Confessarius porrò, qui Confessionis rumpit sigillum, alterius Confessionem, aut partem eius reuelando, præter nefandum, quod committit, sacrilegium, dum Christianorum animos hac ratione à salutari & sacra Confessione alienat, alijs præterea pœnis subiacet in sacris Canonibus expressis, velut *Cap. Sacerd. de Pœnitent. dist. 6* dicit S. Gregorius. Sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet: Quòd ea confessus est: non propinquis, non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosè peregrinando peragat. Et Ca. *Omnis vtriusque sexus, de Pœni. & remissione*: Qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum reuelare ausus fuerit, non so-

lùm à ſacerdotali officio deponendus erit; verùm etiam ad agendam perpetuò pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendus.

Quæritur quid faciendum ſit Sacerdoti, qui peccatum ſuum confiteri nequit, quin etiam alterius peccatum manifeſtet in Confeſſione auditum? Verbi gratia: Duo ſunt in vno pago Confeſſarij: accedit ad alterutrum eorum Epiſcopus, illique confitetur ſe Simoniæ peccatum commiſiſſe. Confeſſarius ab illo peccato Epiſcopum abſoluit, & hoc ipſo in peccatum incurrit, dum poteſtatem non habet Epiſcopum à tali peccato abſoluendi. Quod ſi nunc præfatus Confeſſarius alteri iſti Confeſſario, nimirum ſocio ſuo confiteatur, ſe peccaſſe abſoluendo à crimine Simoniæ eum, quem abſoluere ipſi non licebat, tum procul dubio hac ſua Confeſſione etiam Confeſſionem Epiſcopi eſſet reuelaturus. Reſpondeo cum Medina de Confeſſione, q. 10 & Nauarro cap. 8. num. 6. & 7. ac alijs, differendam illi eſſe Confeſſionem, donec citra periculum rumpendi ſigilli ſeſe offerat alia confitendi occaſio. Quòd ſi citra ſcandalum differre Confeſſionem non poſſit, confiteatur reliqua ſua peccata, hoc vno omiſſo, donec citra reuelandæ Confeſſionis periculum, ſuam quoq; Confeſſionem integrè poſſit perficere. Quòd ſi quis alicui

dicat:

dicat: Hoc tibi ſub ſigillo Confeſſionis reuelo, quæritur: quanam ratione obligatus cenſebitur talis, cui ita ſecretum aliquod fuerit commiſſum? Reſpondeo, eum obligatum eſſe ratione Secreti naturalis, non autem ſigillo Sacramentali: hoc enim dicitur extra Confeſſionem, & laicis etiam dici ſolet. In ea ſententia eſt Soto in 4 d 18 quæſt 4 artic. 5 & Nauarrus cap. 8. num. 18. neque aliter eum obſtringi putant, etiamſi qui ſecretum exponit, facto ſigno Crucis, prolapſus in genua, ipſum etiam Confiteor recitaret, propterea quod omnia hæc non conſtituant Confeſſionem Sacramentalem. Ita enim duo hæc ſecreta diſtinguuntur, quod ſecretum naturale in certis caſibus ob iuſtam cauſam reuelari rectè poſſit, quando videlicet eiuſmodi reuelatio ei, qui ſecretum alteri commiſit, in magnum aliquod commodum eſt ceſſura: ſecretum vero ſigilli Sacramentalis nullam prorſus ob cauſam, nullo in caſu reuelari poſſit, niſi permittente Pœnitente, vti dictum eſt ſupra.

Si quis accedat ad Confeſſionem, non vt peccata ſua confiteatur; ſed vt confeſſarium ad coniurationem aliquam aut hæreſim aliudue peccatum inducat, locumne habebit ibi ſigillum Sacramentale, necne? Reſpondeo quod non: cum enim illa Confeſſio non ſit vera Confeſſio, ſequitur etiam ibi non

esse sigillum, aut obligationem tenendi secreti. At quam diu durat obligatio ista tenendi secreti Sacramentalis? Respondeo: Etiam post mortem ipsius Pœnitentis: cum enim præceptum de non reuelanda Confessione sit negatiuum, hinc semper & in perpetuum obligat.

Si Sacerdos, aut alius quispiam alicuius peccata descripta fortuito inueniens legerit, lectaque alicui reuelauerit, eritne talis reus violati sigilli? Respondeo, quod non: non enim illa peccata in Confessione resciuit; peccaret tamen nihilominus, tale peccatum reuelando: quod si vero idipsum graue peccatum sit, iam etiam peccaret mortaliter, tale peccatum reuelando.

Violatne sigillum Confessarius, qui rem quampiam manifestat, quam aliunde cognouit, quam per viam Confessionis? Respondeo: Eiusmodi manifestationem fieri posse citra peccatum, vt putat S. Thomas in addit. quæst. 11. art. 5. Et est hæc communis sententia, pro qua hanc adducit rationem S. Thomas: alioquin enim (inquit) impediretur cursus iustitiæ, & malis simul præberetur peccandi occasio. Verbi gratia: Si quis in præsentia Sacerdotis delictum aliquod commiserit, iam confitendo illud delictum eidem, prohibere Sacerdoti posset, vt ne coram iudice quidem de eo perhibere testimonium

posset,

posset. Tria tamen in eiusmodi manifestatione requiruntur. Primò, vt non sine causa fiat, & legitimo fine. Secundo, si de scandalo periculum aut metus aliquis sit, vt Confessarij modum explicet, per quem eiusmodi peccatum resciuerit extra Confessionem. Tertio, vt nihil adiungat ex ijs, quæ pure ex Confessione intellexit.

Quæ vero res in Confessione auditæ sub sacrum illud cadunt sigillum? Respondeo cum Soto in loco citato, alijsque illi suffragantibus, non solum ipsa peccata cum circumstantijs illorum, itemque quæ ad pleniorem declarationem à pœnitente in Confessione referuntur; (omnia enim ista ad materiam reducuntur Confessionis, & ad peccatum pertinent) sed quæcunque insuper ipsam quoque Confessionem fidelibus efficere possunt odiosam; veluti si Confessarius aliquem vilibus parentibus, aut illegitime natum esse manifestet. Cum enim id per viam Confessionis resciuerit, fieri vix potest, quin hac ratione pœnitentium animi à Confessione non alienentur. Addit etiam Soto in illa quæstione 4 artic. 6. Confessarium eum, ipso etiam Pœnitente de peccatis in Confessione auditis, extra Confessionem non recte posse agere, cum certum sit, hac ratione odiosam quoque Confessionem effici. Item dicit Nauarrus cap. 8. nu. 11.

si mulier

si mulier aliqua clam suo Confessario alij Sacerdoti confessa sit graue aliquod peccatum, quod suo Confessario reuelare non ausa fuerit, tum Sacerdoti isti non licere priori eius mulieris Confessario indicare, quod talis mulier illi confessa sit: præterquam enim, quod hoc ipso Confessionem redderet odiosam, ipsam quoque mulierem graui suspicione oneraturus esset. Duo hic occurrunt dubia: quorum primum est. an peccata publica, postmodum in Confessione audita, etiam, sub sacro Confessionis sigillo contineantur? Respondeo quod ita; quia scilicet non excipiuntur. Et quamuis etiam in ipsius pœnitentis laudem eiusmodi peccata reuelentur; nihilominus tamen hoc ipso odiosa redditur Confessio, fieretque iniuria ipsi Sacramento.

Alterum dubium est: An socij peccatum, in Confessione Sacerdoti expositum, sub sacro Confessionis sigillo quoque contineatur? Respondeo, quod ita: quia illud à pœnitente expressum & reuelatum fuit tanquam ad suæ Confessionis integritatem & intelligentiam necessarium; ideoque fieri vix potest, quin per eiusdem reuelationem ipsa quoque Confessio reddatur odiosa.

Demum de virtutibus quoque, bonis operibus, alijsque similibus rebus in Confessione manifestatis, etsi quidem illa sub Confes-
sionis

sionis sigillo non contineantur, neque ad pœnitentis dirigantur accusationem: extra Confessionem agere nihil licet citra causam aliquam grauem ac euidentem, maximè si suspicio sit, idipsum pœnitenti displiciturum.

De artibus, quibus vti consueuit Diabolus ad corrumpendam Confessionem, & fructus illius impediendos.

CAPVT XIV.

NIhil est, quod in Ecclesia Christi æquè ingratum aut aduersum sit diabolo, ac sacra Confessio; quippe cum medicina illa sit, ac pharmacum, quo peccator pristinæ animæ sanitati restituitur. Hac de causa morte peius illam detestatur & abhorret Diabolus, conaturque semper aliquid ei de suo admiscere, quo salutari hoc medicamento, virulento suo toxico infecto ac deprauato, ad perniciem hominis quam fœdissime abuti possit, fructusque eius irritos reddere, conijciendo nimirum in morbum grauissimum eum, qui non multum infirmabatur.

Primum ergo toxicon, quod cœlesti huic medicinæ diabolus admiscet, est affectio quædam sensualis, quam inter Confessarium & Pœnitentem interserit, quæ mirum quantum

tum afferat cæcitatis, quæ primus est affe-ctionis huius sensualis effectus, qua impe-diti non animaduertunt, sese inuicem inter-pellando detinere, alijsq; Pœnitentibus hoc ipso scandalum præbere, tanto perniciosius, quanto frequentius, diutiusq; simul ita com-morantur. Verum Deus, qui Confessionem hanc non tam sanandæ animæ, quam eius-dem præcipitandæ instrumentum esse co-gnoscit, suo tempore rationem exiget ab his, qui salutari hoc Sacramento tam flagitiosè abutuntur. Huic morbo remedium adhibe-ri conuenientius non potest, quam si procu-ret Confessarius, vt Pœnitens illa alium sibi Confessarium eligat; quod si Confessarius id procurare negligat, ipsius Pœnitentis e-rit alium sibi Confessarium eligere. Vterque enim obligatus est, à tali sibi periculo pro-spicere ac cauere. At dicat aliquis? Violen-tius hoc esse remedium, quam quod sub ip-sum statim principium debeat adhiberi. Cui respondet: Nisi in ipso statim adhibeatur principio, post multo acerbius aut prorsus inutile futurum. Carnalis enim hæc affectio-nis flamma, nisi è vestigio extinguatur, mox tantas ex obiecti præsentia capiet vires, vt in quibus illa prædominatur, suæ mentis pro-pediem redditura sit impotentes.

Est hæc communis Doctorum sententia, ipsa experientia comprobata, hunc scilicet

affe-

affectum fugiendo vinci, augeri resistendo. Extinguere flammam vis, ligna subducito: si vero tu frequenter conuersando cum his, erga quas ita inordinatè affectus es, huic igni ligna sufficias, blandisque sermonibus, ceu vento quodam, excites ac foueas, quis non videt, vel maximum hinc incendium aliquando excitatum iri?

Huic tam pestifero veneno nullum opponi poterit efficacius antidotum, quam duo hæc diligenter & serio apud animum perpendere. Primo, quantum Christo Domino nostro displiceat, Confessionem, ab ipso ad sanctificationem & salutem animarum institutam, lethali hoc veneno sensualis affectionis infectam, instrumentum fieri & medium, quo corpus simul & anima in damnationis barathrum præcipitentur. Secundo, si viceversa consideremus, quantopere exultet diabolus, si Confessarium ac Pœnitentem, illicito erga se inuicem amore incensos, grauiorique quam ante peccatorum mole oneratos discedere videat à Confessione, quæ maculas debebat eluere peccatorum

Secundo diaboli impostura contra Cõfessionem hæc est, quod cum fur sit longe versutissimus, quo geminum faciat lucrum, id, quod inter peccandum homini abstulit, eidem in Confessione restituat, id est:

Quan-

Quãdo quis patrare peccatum cogitat, tum sathanas omnem illi suffuratur verecundiam, vt eo liberius enormiusque delinquat: quando vero confitendum est, eundem illi, quem ante abstulerat, pudorem restituit, ne peccata sua confiteatur; atque ita ex vno furto, geminum facit lucrum.

Pudor, qui facit, vt Pœnitens cum confusione & rubore aliquo interiore, ex interno animi dolore, propter offensum Deum suborto, peccata confiteatur, bonus est & sanctus. Ea vero verecundia, quæ confitentem impedit, quo minus ingenue peccata sua cõfessario reuelet, sacrilega est ac diabolica; quippe cum per eam impediatur Confessarius, quo minus peccatorum grauitatem rectè possit intelligere. Hinc sacra Scriptura dicit. Prou. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Et Ecclesiastici cap. 4. *Non confundaris confiteri peccata tua.*

Ad præueniendum huic imposturæ, cogitet Pœnitens, quæcunque peccata in hac vita Confessario non reuelabuntur, sacraque Absolutionis virtute delebuntur, fore, vt in Iudicio vniuersali coram vniuerso mundo manifestentur. Deinde meram esse stultitiam pensitet, ex pudore peccatum aliquod in Confessione velle omittere. Si enim ex eorum reuelatione aliqua ad confitentem redunda-

dundaret ignominia, causam aliquam fortasse reticentiæ suæ posset prætendere; iam vero nulla omnino hinc illi nascitur confusio aut pudor. Quin etiam prudens Confessarius, in secreto tanquam Christi minister peccata confitentis excipiens, per eiusmodi Pœnitentem ædificatur, qui ad peccatorum Absolutionem obtinendam integrè ac syncere peccata sua confitetur. Quid, quod puerilis plane ille est pudor, quo peccata aliqua in Confessione subticentur, qui tamen maxime Deum Creatorem offendat. Etenim valde ineptum est, diuinum conspectum non reuereri, dum peccata committimus; erubescere vero velle tum, cum Dei ministro ac vicario in Confessione ea, ad obtinendam eorum Absolutionem, sunt reuelanda. Quis non videt, pergrauiter ei homini offensum fieri Deum, qui stultitia plusquam puerili, non solum quid vtile sibi sit, non cognoscit; sed damnum insuper & exitium suum tali sibi inobedientia vltro accersit: cum, qui ex pudore mortale aliquod peccatum omittit, non modo non absoluatur à reliquis, quæ confitetur; sed nouo insuper ea cumulet sacrilegio.

Tertio diaboli dolis deluduntur, qui intantum suo Confessario affixi sunt, vt alij omnino confiteri non posse sibi videantur, idque non tam ex affectione, quam falsa aliqua

liqua imaginatione, qua sibi persuadent, à nullo alio sibi fieri satis posse. Hinc si peregre proficiscatur illorum Confessarius, non confitentur, vsque dum ille reuertatur; si in morbum incidat, expectant dum conualescat. In summa, nisi moriatur illorum Confessarius, alium neminem accedunt. Quod sanè non aliunde arbitror, quam ex dæmonis astutia procedere: non enim probantur mihi qui actum tam gratum Deo, tamque animæ fructuosum hoc solo prætextu omittunt, quia scilicet proprij Confessarij copia denegatur. Ridiculum sane foret, si quis in cœnum prolapsus, volentibus illum educere respondeat, extrahi se nolle, vsque dum talis veniens illum educat: similiter si quis morbo decumbens, ab vno mordicus medico sanari velit, reliquorum omnium operam ac diligentiam aspernatus. Quod si præter proprium Confessarium nullus eos posset absoluere, iam recte facerent, illum solum expectando: sed plures sunt, à quibus absolui non minus recte possint. At respondebit mihi quispiam: Etsi non desint alij Confessarij æque boni ac prudentes, attamen fieri potest, vt aliquis aut propter scrupulum, aut aliam quandam persuasionem non æque commode ad eorum se mores aut ingenia possit accommodare. Mihi fraude carere non videtur hæc excusatio. Si enim

nim mortuo suo Confessario alium potest accedere, cur non idem nunc quoque possit, ne vberrimis istis frequentis Confessionis fructibus defraudetur. Deinde quomodo recte negabit ab alijs sibi satisfieri, qui alium Confessarium nunquam (quod inprimis necesse erat) sit expertus?

Verum hic error hinc nascitur, si quis non æqua lance commoditates examinet, quas perdit, quisquis in longum tempus protrahere Confessionem suam præsumit, itemque quas sibi acquireret, si cum proprij Confessarij non datur copia, alium adire non tergiuersaretur. Huic ergo malo tale adhibeatur remedium: finge te in carcere asseruari, quemadmodum reuera omnes peccatores mancipia peccatorum sunt, & peccatorum vinculis, ceu carceribus quibusdam, tenentur constricti. Principalis tuus aduocatus, pro impetranda tibi libertate, Christus est; carceris ianitor Confessarius est. Quod desiderat incarceratus, nihil aliud est, quam vt è carcere dimittatur, per quem ianitorem nihil eius interest. Et sane mente captus existimaretur, qui à principali domino impetrata gratia & libertate, responderet, se ex carcere exire nolle, nisi per talem ianitorem è carcere dimittatur, quem, si vel peregre profectus sit, aut morbo aliquo decumbat, paratus sit præsto-

præstolari, dum vel reuertatur, vel conualescat. Si talis apud animum suum damna, quæ ex diuturno carcere resultant, ponderaret, itemque commoda, quæ consecuturus esset ex libertate, procul dubio nihil æque, quam exire carcere exoptaret, parum sollicitus siue per hunc, vel per illum ianitorem dimittatur: perinde vt mercatores, si quæstum aliquem insignem faciant, nihil pensi habent, cuius proxenetæ opera ad eiusmodi quæstum faciendum vtantur. Demũ si quis difficultatem illam, quam in nouo adeundo Confessario experiri se prætendit, fortiter perrumpat atque exorbeat, seque ipsum in hoc propter amorem Christi mortificet, merito suo non carebit. Cur non ergo, qui professionem fecerit vitæ spiritualis, superando huiusmodi difficultatem, consimilia vel etiam maiora præmia se speret consecuturum?

Quartum Sathanæ stratagema, quo ad irritos faciendos fructus Confessionis vtitur, illud est, vt, quemadmodum hos vni soli astringit Confessario, sic è contra alios inducat, vt quauis occasione & tempore suos Confessarios mutent. Difficulter admodum saluti istius subueniri poterit, qui in omni morbo medicum mutat, cum ad rectam curationem nihil æque sit vtile, quã si infirmi naturam ac complexionem quam

accuratiſſime ſibi medicus habeat perſpe-
ctam : Si ergo in quolibet morbo medicum
mutet, nullus perfecte naturam illius co-
gnoſcet, atque ideo neque recte curare pote-
rit. Cauſa huius frequentis mutationis aut
ex leuitate Pœnitentis, vel ex eiuſdem vere-
cundia exiſtit, dum videlicet eundem Con-
feſſarium, ijſdem quibus ante peccatis one-
ratus, accedere erubeſcit, aut rationem red-
dere extimeſcit de ijs, quæ prior ille Confeſ-
ſarius in præcedenti Confeſſione expedien-
da iniunxit, veluti ſi præcepit ei alicuius rei
facere reſtitutionem, peccati alicuius vi-
tare occaſionem, aut medium aliquod ad
euitanda peccata vtile arripere. Si ex leui-
tate Confeſſarium mutet, indicium cer-
tum eſt, non magni pendere Confeſſionem,
neque multum curare animi bona, vnde
difficulter iuuari poterit, qui adiuuari ipſe
nec curet, nec velit : Sin pudore ad id ſti-
mulatur, eadem peccata de nouo confi-
tendi, puerilis error eſt cum hic pudor non
ſanitatis illi recuperandæ medium, ſed ma-
ioris mali cauſa exiſtat. Rectius tibi medici-
nam faciet, qui alias te curauit, quam cui
penitus tua vulnera ſunt incognita. Huic
præpoſteri ac vitioſi pudoris morbo me-
lius mederi non poteris, quam ſi non am-
plius mutes Confeſſarium, ſed ad eundem
cum maiori Pœnitentia ac firmiore mutãdæ

in melius prioris vitæ proposito reuertaris. Denique si ideo Confessarium mutet Pœnitens, ne rationem sit opus reddere eorum, quæ præcedenti illi Confessione iniunxit, aut facere iam ante obligatus erat; Similis erit ægroto, qui medicum quidem accersit, sed consilia ac pharmaca eius magno suo malo aspernatur ac contemnit.

Quinto eò nonnullos suis artibus Dæmō inducit, vt duos assiduò Confessarios habeant: vnum scilicet simpliciorem, cui libere omnia sua peccata confiteantur nihil omnino sibi ab eo timentes, ne vel eos reprehendat, aliquid ijs prohibeat, vel demum vitæ ijs instituendæ præcepta præscribat; omnia probè peracta esse existimantes, si modo Absolutionem ab eo consequantur: alterum vero etiam Confessarium habent, cui, quod maioris forte authoritatis sit, aut insigni aliqua prudentia, vitæque sanctitate præcellat, peccata aliqua leuiora tantum confitentur, ne videlicet eos occasiones peccandi amputare iubeat, conuersationes solitasque delicias inhibeat, aut demum illicita eorum negotia reprehendat. Hoc scilicet est vtroque pede claudicare. Ambulare rectam viam non potest, neq; ambulat, qui bonum sibi ducem non eligit, eiusque vestigijs insistit. Quid proderit tibi, si simpliciori Confessario omnia tua peccata citra veram

Pœni-

Pœnitentiam, firmumque vitæ emendandæ propositum confitearis? Quid lucri hinc animæ tuæ, si alium habeas Confessarium prudentem, nisi eiusdem consilijs obtemperas, syncere conscientiam tuã corã eo exonerando? Hoc non est confiteri, sed hominibus persuadere velle, cùm male ambulas, rectam te viam insistere. Mundum decipere potest hypocrita, Deum vero ludificari non potest.

Sunt alij Pœnitentes, qui magni se æstimari à Confessario expetunt, quod vitium, vt plurimum, in mulieribus prædominatur, quibus perpulchrum videtur, si, præ multis alijs, diu multumque circa ipsas audiendas Confessarij occupentur ac distineantur, si de varijs ac diuersis rebus eas interrogent; si consolentur, ac demum de omnibus suis rebus rectè instituendis informent. Quod si id non fecerit Confessarius, quia forte minus necessarium esse iudicet, ecce materies & campus querelis latissimus aperitur; iam se à Confessarijs relictas esse clamitant, neque amplius se ijs curæ esse; iam mutare eos, aut prorsus denique Confessionem omittere se velle comminantur. Si quam forte aliquanto diutius adesse Confessario conspexerint, ecce inuidia, ecce murmura ac querimoniæ multæ, perinde ac si res sit alicuius magni momenti. In summa, magno

conatu magnas nugas agunt: quibus technis nihil aliud quærit Diabolus, quam vt paulatim eas inducat ad vitam dissolutam & ab omni timore Dei alienam. Omnium autem horum defectum radix & origo est superbia, suiipsius amor, & charitatis inopia. Si enim talibus mulieribus vel tantillum duntaxat, inesset humilitatis, iam parui pendi se videntes, Deo gratias agerent; si quid haberent charitatis, iam aliarum successibus non inuiderent; maxime si ita Confessario expedire visum fuerit, ad cultum diuinum recte peragendum, vt citius aliquas dimittat, quo reliquis quoque Pœnitentibus ad confitendum temporis aliquid supersit. Demum id scire eas oportebat, quemadmodum boni agricolæ est, accurationem nouellarum & tenerarum plantarum habere rationem, quam earum, quæ in iustam iam altitudinem & plenitudinem creuerunt, actaque radice ferendis iam fructibus sunt idoneæ: ita boni quoque Confessarij esse officium, eorum præcipuè Pœnitentium habere ratione͂, qui cum nouitij sint, acriore stimulo diligentiorique instructione indigent, quam alij tanquam arbores grandiores, quæ in iustam iam altitudinem excreuerunt, id est, fructus siue progressus faciunt in vita spirituali, neque cultum tam accuratum amplius requirunt. Qui ergo diutius, quam par est, circa

eiuſmodi mulieres in Confeſſionibus audiendis occupantur, nihil aliud quam tempus perdunt, cuius exactiſſimam rationem habere omni circumſpecto Confeſſario inprimis eſt neceſſarium.

Sunt alij Pœnitentes, qui aſſiduò conqueruntur, quod non bene confiteantur, quod ignorent modum recte confitendi, & idcirco nullos omnino faciant progreſſus, ideoque ſatius videri illis, ab omni prorſus Confeſſione ſuperſedere. Hæc tentatio, quæ fœminas vt plurimum torquere ſolet, ex varijs poteſt oriri cauſis. Prima eſt, quod ignorent, in quo fructus conſiſtat Confeſſionis: repeiuntur enim, quæ fructum Confeſſionis ex hoc metiuntur, ſi ad longum & bono ordine Confeſſario rerum ſuarum ſtatum nouerint explicare, item ſi diu Confeſſarium detineant: vnde melius eas confiteri arbitrantur, quæ confitentur diutius; quæ verò perpaucis verbis Confeſſionem ſuam expediunt, eas nullum omnino fructum ex Confeſſione referre ſuſpicantur. Error ſane neutiquam tolerandus: non enim in eo fructus ſitus eſt Confeſſionis, ſed in hoc, vt quiſque in ſtatu gratiæ conſeruetur, à peccatis mortalibus immunis, & tam aduerſis quam ſecundis rebus in cultu ſeruitioq; Diuinæ Maieſtatis conſtanter perſiſtat, multoque malit vitam amittere, quam peccatum mortale committere,

tere. Si quis porro paucis verbis Confessario sua peccata explicare norit, magna virtus est, ob quam gratias agere debet omnipotenti Deo, & condolere ei, qui idipsum simili modo præstare non potest, fortè propter scrupulos aliquos, qui nihil aliud sunt, quam morbus quidam spiritualis, cuius medicus est Confessarius, quique curari citra temporis aliquod interuallum diuersas ob causas non potest; vel sanè propter tentationes aliquas, à quibus vt Pœnitens per Confessarium liberetur, etiam temporis aliquo interuentu opus est. Aliquando quoque hinc diutius durat Confessio, quod Pœnitens non, vt oportet, sua peccata reuelet; vnde necessarium est Confessario, Pœnitentem diutius aliquantulum detinere, quo scilicet pedetentim ex illo eliciat, quod ad Cõfessionis integritatem desiderabatur. Demũ fieri potest ob consilium aliquod, quod Pœnitenti communicat Confessarius circa rem alicuius momenti. Vnde si quis ab his ac similibus impedimentis liber Confessionem suam breuiter ac compendiosè possit instituere, habet, de quo gratias agat Deo, cum maius hoc beneficium sit, quam vel ipse facile possit agnoscere.

Dico deinde: Eos, quibus illud assiduè in ore est: Non recte confiteor. Item: Non noui confiteri, &c. ex diaboli quadam tentatione

ad id credendum adduci, qui ſacræ Confeſſionis infenſiſſimus eſt inimicus, quo ſcilicet hominem ad ſacrum & ſalutiferum hoc Cõfeſſionis exercitium abijciendum compellat: iudicare enim, rectenè an perperam quis confiteatur, non pœnitentis eſt, ſed Confeſſarij, qui ſi quem male confitẽtem abſoluat, ſacrilegium cenſetur committere. Si quis confiteatur quicquid commiſit à tempore præteritæ Confeſſionis, cum Pœnitentia ac propoſito vitæ emendandæ, digniſſimus eſt Abſolutionem recipere: ſi vero poſtea quis non ſe emendet, neque fructus dignos faciat Pœnitentiæ, Confeſſioni vel Confeſſario nequaquam id eſt imputandum.

Tertio dico, fieri poſſe (quemadmodum fieri ſubinde videmus) vt eiuſmodi animi inquietudo ex auaritia procedat. Quod ſic intelligendum eſt: Quemadmodum temporalium rerum auari, quo plus habent, eo plus habere deſiderant: ita etiam nonnulli reperiuntur rerum ſpiritualium auari, qui deuotionis expleri nunquam poſſunt; ſed quo maiori deuotione ac ſanctitate pollent, hoc magis deuotionem ac ſanctitatem deſiderant. His in more poſitum eſt, perpetuo queri quod neſciant confiteri, fructumque ſeu progreſſum nullum faciant. Vtinam vero quam plurimi in omnibus ciuitatibus, Monaſterijs, ac domibus priuatis eiuſmodi

Pœnitentes auari reperiantur, qui non solummodo à peccatis abhorreant mortalibus, sed à venialibus etiam sibi quam possunt diligentissime cauerent. Quod vero tales fructus nullos aut progressus facere se dicunt, id humilitati eorum est imputandum.

Finis Libri Secundi.

LIBER TERTIVS

DE SATISFACTIONE.

Quid sit Satisfactio Sacramentalis.

CAPVT I.

Satisfactio, quæ tertia pars est Sacramenti Pœnitentiæ, vulgari nomine dicta Pœnitentia, quæ Pœnitenti à Confessario iniungitur, hoc modo potest definiri secundum S. Thom. in addit. q. 12. art. 3. *Est compensatio Deo facta ad tollendam pœnam temporalem quam debet Pœnitens pro peccatis commissis.*

Ad

Ad huius definitionis intelligentiam notandum est, hominem mortaliter peccando in duplicem incurrere pœnam: quarum vna pœna damni dicitur, qua quis nimirum priuatur visione Dei, ob id, quia homo, dum peccat, tergum Deo vertit, ab illo deficit, eique fit rebellis; vnde meretur, vt in æternum conspectu eius priuetur. Altera pœna, dicta pœna sensus, illa est, quæ debetur peccato ob delectationem, quam quis ex illo contra legem Dei percepit, secundum illud Apocalypsi.cap 18. *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctū.* Iam vero quando peccator, rebellionis suæ pertæsus, ad Deum reuertitur, vt cū eo mediante Sacramento Pœnitentiæ, reconcilietur, remittitur ei culpa, & pœna æterna in temporalem conuertitur, id est dum relaxatur illi culpa, pœnæ quoque illa æternitas tollitur, atq; ita superest tantum pœna temporalis, de qua dicit S. Concil. Triden. sess. 6. cap. 14. quod non semper tota remittatur in Sacramento Pœnitentiæ, quemadmodum in Baptismo remittitur; sed quod reliquum manet ex hac pœna temporali, in Purgatorio acerbis grauissimisq; pœnis est luendum. Veruntamen misericors Deus eam nobis gratiam concessit, vt in hac etiam vita dictam istam pœnam delere possimus, bonis scilicet operibus, indulgentijs & satisfactio-

ne, quæ nobis in Sacramento Pœnitentiæ à Confessario iniungitur, de qua intelligenda est præsens definitio. Et quia omnibus peccatis, etiamsi contra proximum committantur, principaliter Deus offenditur, cuius legem quouis mortali peccato transgredimur, hinc est, quod in definitione dicitur, *Compensatio Deo facta*, quanquam nihilominus proximo etiam præstanda sit satisfactio, si qua in re à nobis sit offensus.

Præterea notandum est, pœnitentiam aut Satisfactionem, quam Pœnitenti imponit Confessarius, non tantum ei iniungi hoc fine, vt humanæ infirmitatis sit medicamentum, & vitæ iam innouatæ quasi quædam custodia; sed in vindictam etiam & præteritorum peccatorum pœnam ac castigationem, quemadmodum S. Concilium Tridentinum affirmat sessione. 14. cap. 8. Hinc opera satisfactoria pœnalia esse necesse est: vnde idem Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 14. & communiter omnes Doctores, quemadmodum S. Thomas in addit. quæstio. 15. articul. 3. & cum illo plures alij, tria constituunt operum satisfactoriorum genera, quæ in Pœnitentiam peccatoribus iniungi consueuerunt, Ieiunium videlicet, Eleemosynam, & Orationem. Sub Ieiunio omnia illa opera comprehendun-

tur,

tur, quæ carnem noſtram ſolent affligere, velut diſciplinæ, cilicia, vigiliæ, peregrinationes, & ſimilia. Sub Eleemoſyna comprehenduntur opera miſericordiæ, veluti viſitare ægrotos ac captiuos, mortuos ſepelire, & ſimilia. Per Orationem tam vocalis, quam mentalis intelligitur oratio, aliaque id genus vitæ ſpiritualis exercitia; veluti Conciones, Miſſæ, Veſperæ, & ſimilia.

Hæc tria ſatisfactoriorum operum genera, ceu medicina quædam ſunt contra tres peccatorum radices, quarum meminit S. Ioannes in prima epiſtola, cap. 2. vbi dicit: *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Concupiſcentiæ carnis opponitur Ieiunium, quo caro mortificatur & conſtringitur. Concupiſcentiæ oculorum aduerſatur Eleemoſyna, quippe qua priuamur ijs rebus, quibus oculi præſertim oblectantur, veluti ſi mulier aliqua pauperibus veſtes ſuas pretioſas, aut alia corporis ornamenta elargiatur. Contra ſuperbiam vitæ denique militat Oratio, qua homo humiliatur coram Deo. Quandoquidem ergo vitia ſiue peccata ex anima per virtutes ſibi contrarias expelluntur, nihil rationi videtur magis conſentaneum, quam vt carnaliter

affectis in Pœnitentiam iniungantur ieiunia, auaris eleemosynæ, superbis vero oratio.

Quia tamen in pœnitentiali hoc iudicio non tam puræ iustitiæ, quam misericordiæ habetur ratio, hinc est quod Pœnitentibus nullæ certæ Pœnitentiæ sint determinatæ, sed arbitrio tantum atque discretioni prudentis Confessarij relinquantur.

Inter hæc tria operum satisfactoriorum genera, quoad excellentiam primas obtinet Eleemosyna, propterea quod per illam non tantum bono aliquo vtili ac iucundo priuemur, sed aliorum quoque subueniamus necessitati. Continet autem hæc etiam aliquo modo sub se orationem: præterquam enim quod ipsa Eleemosyna ascendat ante conspectum Dei, à quo gratiam ipsi Eleemosynario acquirit, ipsum quoq; recipientem Eleemosynam ad orandum pro eo, qui Eleemosynam præstat, inducit. Ieiunium quoque aliquo modo in se includit Eleemosynam, cum sæpenumero videamus huius virtutis asseclas, proprium suum genium defraudare, vt habeant, quo pauperes esurientes pascere possint; aut vero tam in elargiendis Eleemosynis esse liberales, vt solitis suis delitijs ac lautitijs multum detrahere sit necesse. Hinc tantis laudibus in Sacris litteris euehitur Eleemosyna. Ecclesiastici 3.

dicit

dicit Iesus Sirach. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Item apud Tobiam cap. 12. Angelus Raphaël inquit: *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam.*

Secundas tenet Ieiunium, quo caro mortificatur, quæ radix est, & stimulus ad peccatum. Et quoniam Ieiunium cor hominis ad rerum cælestium erigit contemplationem; ideo sub hoc quoque oratio rectè comprehendi dicitur. Tertiæ demum orationi debentur, quæ quò maiori effunditur feruore ac deuotione, eò ad delendas quoque pœnas temporales erit efficacior.

Affirmat quoque Concil. Tridentinum, sess. 14. ca 9. Can. 13. quod pro pœna peccatorum nostrorum non solum satisfacere possimus operibus in pœnitentiam à Confessario nobis iniunctis, aut sponte à nobis ipsis susceptis; sed ipsis etiam pœnis ac castigationibus tẽporalibus à Deo nobis immissis, quales sunt morbi, pestilentia, bonorum iactura, atque id genus tribulationes, dummodò à nobis patienti animo sustineantur. Hinc est, quòd post Absolutionem subdit Confessarius: *Quicquid boni feceris, & mali sustinueris sint tibi in remissionem peccatorum*: id est, pœnæ quas debes ob peccata commissa. Hoc tamen certum est, quemadmodũ rectè

notat Caiet. 3. p. q. 90. art. 2. ea quæ à Confessario facienda nobis pro satisfactione imponũtur, magis esse satisfactoria, quam quæ à Deo nobis immittuntur, aut voluntariè à nobis suscipiuntur, propterea, quòd cum illa pars sint sacramenti, virtusque obedientiæ cùm ijs concurrat, plus virium habeant ad delendam pœnam temporalem. Cui sententiæ etiam astipulatur S. Thomas loco citato in secundam.

Dubia aliquot circa materiam satisfactionis occurrentia.

CAPVT II.

PRimò quæritur: Si Confessarius Pœnitenti in Pœnitentiam iniungat Ieiunium, an satisfaciat Pœnitens ieiunando in Vigilia alicuius festi, quo scilicet tempore ieiunare tenetur ex præcepto Ecclesiæ? Pro enodatione huius dubij primum respondeo: Posse aliquem satisfacere ijs etiam operibus, ad quæ ex alio titulo seu causa sit obligatus. Hanc sententiam multi graues tuentur Doctores, veluti Caietanus de satisfactione q. 1. Soto in quart dist. 19. quæst. 1. art. 4. Nauarrus cap. 3. nu 4. & ca. 26. num. 23. Sunt tamen & nonnulli, qui contrarium opinentur. Ratio nostræ opinionis assignatur hæc, quia

sci-

ſcilicet omne bonum opus pœnale, etiam ſatisfactorium eſt; Non autem deſinit eſſe ſatisfactorium ob id, quia ab Eccleſia nobis præcipitur. Ergo etiam ijs operibus poſſumus ſatisfacere, atque vno eodemque opere duo præcepta adimplere. Adde quod nec vel Canon vel Lex vlla exſtet, quæ, quo minus id fieri poſſit, prohibeat. Dico ſecundò: Pœnitens, cui à Confeſſario ter ieiunare iniunctum fuit, ſi id ieiunium differat vel in quatuor anni tempora, vel in tres feſtorum Vigilias, non ſatisfacit Confeſſarij præcepto, cuius mens talis fuiſſe non præſumitur. Item quia ſecundum communem loquendi conſuetudinem intelligitur Pœnitens obligatus eſſe ieiunare ijs diebus, quibus ex præcepto ieiunare non tenetur. Tertiò cùm Soto affirmo, in 4. d. 19. qu. 2. art. 1. cond. 2. ſi Confeſſarius tale quid pœnitenti iniungat pro Pœnitentia, quod iam ante facere obligatus eſt, vt audire Miſſam in die feſto, quam alioquin ex præcepto Eccleſiæ audire eſt obligatus, iam Confeſſarij præcepto eum ſatisfacere propter rationem ſupra allegatam. Similiter, ſi Pœnitenti iniungeretur tribus certis diebus ieiunare, in quos fortè Vigilia aliqua incideret, dubium non eſt, quin Pœnitens Confeſſarij ſui ſatisfaceret præcepto.

Secundò dubitatur, an Pœnitens, Pœni-

tentiam ſuam perficiens, in peccato mortali conſtitutus, rectè ſatisfacere cenſeatur? Reſpondeo: Duplicem in hac quæſtione latere difficultatem. Prima eſt: An talis pœnitentia ſatisfaciat Confeſſarij præcepto, ita videlicet vt Pœnitenti neceſſe non ſit eam reiterare? Altera difficultas eſt: An talis Pœnitentia valeat coram Deo, ſuumque conſequatur effectum, qui eſt pœnam temporalem minuere? Ad primam difficultatem dico, quòd talis Pœnitens ſatisfaciat præcepto Confeſſarij, etiamſi in peccato mortali ſit conſtitutus. Si enim quis peccato mortali obnoxius, Eccleſiæ præcepto ſatisfacit, veluti audiendo Miſſam diebus feſtis, ieiunia certis ac ſtatutis temporibus obſeruando, multo magis Confeſſarij præceptis ſatisfacere putandus eſt. Ad ſecundam difficultatem dico: ſatisfactionem, quæ fit ab homine mortalis ſibi delicti conſcio, pœnam temporalem non imminuere, neque valere coram Deo. Ratio hæc eſt: non enim ibi poteſt eſſe charitas, vbi peccatum mortale locum habet. Iam verò ſine Charitate, dicit S.Paul.1.ad Corinth, ca.13. *Nihil homini prodeſt, etiamſi in cibos pauperum omnes facultates ſuas diſtribuerit corpusq; ſuum flammis tradiderit.* Sac. Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. inquit ſatisfacere nos in Chriſto, & per Chriſtum. Dum verò quis in peccato eſt mortali, à

li, à Christo separatus est, & eius inimicus, & per consequens, nullo modo coram Deo potest satisfacere. Cùm enim in Christi amicitia fundata nostra sit satisfactio, non tenetur eam acceptare, nisi ab homine fiat in statu gratiæ constituto. Præterea opera pœnalia, quibus in hac vita fit satisfactio, nullam omnino cum pœnis futuri seculi habent proportionem, & per consequens quoque vim non habent pro ijs satisfaciendi. Vnde sequitur gratia iustificante opus esse, à qua omnem vim suam nanciscitur satisfactio. Hæc est S. Thomæ doctrina in addit. qu. 14. art. 2. quem plerique alij Theologi sequuntur, qui citantur à Suarex de Satisf. disp. 37. Sect. 2. §. Dico: & infra disp. 38. sect. Vnde sacra scriptura dicit Prouerb. 15 *Victimas impiorum abominabiles Domino.* Et Eccles 34. *Dona impiorum non probat Altissimus.*

Quærat aliquis: Quale peccatum sit, si quis Pœnitentiam suam adimpleat in peccato mortali constitutus? Ex vna parte videtur esse peccatum mortale, cùm satisfactio, tanquam pars Sacramenti, gratiam conferat, vnde qui Pœnitentiam adimplet in peccato mortali, impedimentum obijcit isti gratiæ, & per consequens grauissimè delinquit: quemadmodum etiam grauissimè peccat, qui Sacramento initiatur Matrimonij, si

nij, si in statu gratiæ non sit constitutus. Ex altera verò parte non videtur esse peccatum mortale, quippe cùm ipsi Sacramento (quatenus consideratur tota illius natura) nullum inferatur impedimentum.

Aliud hic dubium nascitur: An nimirum satisfactio, quæ fit à Pœnitente in peccato mortali constituto, postea eodem ad statum gratiæ reuerso suum sortiatur effectum, & à Deo acceptetur? Respondeo: Valde esse probabile, eiusmodi satisfactionem effectum suum sortiri: quia pars est Sacramenti; iam verò ea est natura Sacramenti, vt sublato impedimento, sortiatur effectum suum. Ita sentit Caietanus verbo satisfactio, & Thom. 1. Opusc. Tract. 5. de satisf. fact. quæst. 2. & Nauarrus cap. 3. num. 5. 6. & 7. dicitque eam esse opinionem communem.

Tertiò quæritur: Quid factu opus sit, si Pœnitens grauem aliquam Pœnitentiam acceptare detrectet, contentus acceptare iustam & conuenientem? Pro huius quæstionis solutione notandum est id, quod à S. Concilio Tridentino traditur, sess. 14. cap. 8. nimirum, eum in imponendis Pœnitentijs modum obseruandum esse Confessarijs, qui conueniens sit qualitati ac quantitati peccatorū, ne & ipsi participes efficiātur peccati alieni, pro peccatis grauissimis le-

uio-

uiores, quàm par ſit, imponentes Pœnitentias. Quæſtio iam eſt: Si Pœnitens conuenientem acceptare Pœnitentiam tergiuerſetur; quia nimis illi videatur grauis, quid in hoc caſu facto opus ſit? Reſpondeo: Duo genera eſſe ſatisfactionum. Quædam enim dicuntur neceſſariæ, qualis eſt, rem alienam, ſi fieri poſſit, reſtituere; concubinam è domo dimittere; odium deponere; peccandi occaſiones propinquas amputare: eiuſmodi ſatisfactionem Pœnitens acceptare obligatus eſt, ſi abſolui velit. Aliæ ſunt Satisfactiones arbitrariæ, quas Confeſſarius poteſt ac debet minuere aut immutare, iuſta aliqua exſtante cauſa, aut ſi timeat Pœnitentem eam ſatisfactionem non præſtiturum. Monet hîc Caietanus, loco ſupra citato, Quemadmodum medicus corporalis in adhibenda medicina id præcipuè ſpectat, vt medicina proportionem aliquam habeat ad ægrotantis morbum ſimul ac ſanitatem; ita quoque Confeſſario; qui quaſi medicus ſpiritualis eſt Pœnitentis, faciendum eſſe. Vnde etiamſi vehemens morbus ſit, id eſt, etſi peccatum ſit maximum, tamen ſi debilior ſit peccator, quàm vt medicinam fortem ferre valeat, leuiora ei ſunt medicamenta adhibenda: id eſt, exigua illi imponenda eſt Pœnitentia, quæ ſcilicet

virir-

viribus ac dispositioni eius sit conformis & accommodata. Suarez de satisfact. disp. 38. sect. 7. concluſ. 2. dicit, etiamſi non liceat Pœnitenti Confessarium suum deserere propter Pœnitentiam aliquanto grauiorem; cùm illud nihil aliud sit, quam Iudicis sui sententiam subterfugere: nihilominus tamen esse necesse, vt Confessarius se fragilitati Pœnitentis accommodet, maximè cùm secundùm communem sententiam non existimetur peccatum mortale, Confessarium suum etiam incepta iam Confessione relinquere.

Quartò quæritur: Quid si autem Pœnitens nullam omnino velit acceptare Pœnitentiam, dicens se in Purgatorio velle satisfacere? poteritne talis absolui, nec ne? Respondeo: multos Authores, ex quorum numero etiam est Scotus in 4. Sentent. Caietanus in Summa, verbo Confess. condit. 16. & verbo satisfactio, sub principium, 1. Nauarrus cap. 3. numer. 2. & cap. 26 numer. 20. aliíque complures, in ea esse sententia, vt eiusmodi Pœnitentem rectè absolui posse arbitrentur. Etsi enim credant illi, nullum reperiri Pœnitentem, qui ita obstinatus sit, vt ne salutationem quidem Angelicam recitare, aut crucis se signo signare velit in satisfactionem suorum peccatorum: nihilomi-

omninus tamen, si talis inueniatur, absoluendum esse inquiunt, pœna peccatorum ad Purgatorium remissa. Ratio, qua nituntur præfati Authores, hæc est, quod satisfactio, quæ fit in hac vita, Priuilegium aliquod sit Pœnitenti concessum, cui, si velit, renuntiare potest. Scotus verò dicit Pœnitentem, si semel acceptauerit Pœnitentiam, obligatum esse eandem adimplere siue perficere. Contra sentit Caietanus, Tom. 1. Opusc. tract. 6. quæst. 2. addit. 2. vbi dicit, etiamsi Pœnitens acceptet Pœnitentiam iniunctam: tamen nihilominus ob hoc non obligari ad eam perficiendam, cùm eiusmodi acceptatio nihil aliud sit, quàm simplex propositum, quod non obligat. Alij arbitrantur eiusmodi Pœnitentem non debere absolui: cùm enim omnis iudex obligare reum possit ad aliquam pœnam; in Confessione verò Confessarius iudicis, rei verò partes Pœnitens sustineat, hinc æquum esse autumant, vt Confessarius Pœnitentem ad certam aliquam Pœnitentiam possit obligare, reum verò obligatum esse Confessario in adimplenda Pœnitentia obtemperare. Vnde S. Concil. Trident. 8. cap. sessio. 14. posteaquam dixisset, Sacerdotum esse peccatoribus pœnitentiam peccatis conuenientem iniungere, rationem sub-

iun-

iungit istam; quia claues Sacerdoti non tantùm concessæ sunt ad soluendum, sed etiam ad ligandum. Ergo potestatem habet Confessarius Pœnitentem ligandi & obligandi ad satisfaciendum pro peccatis suis in hac vita, dicente S. Matthæo cap. 16. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.*

Item caput illud: *Omnis vtriusque*, omnibus præcipit confiteri, & Pœnitentiam sibi à Confessario impositam adimplere. Ergo etiam Pœnitens obligatus est eandem acceptare. Præterea vnusquisque obligatus est integrum accipere Sacramentum, si possit. Ergo cùm satisfactio pars sit sacramenti Pœnitentiæ, etiam aliquam præstare satisfactionem oportet. Et hæc posterior sententia vera est, & in praxi etiam sequenda, cui suffragantur Authores sequentes. Magister sententiarum in 4. distin. 16. & 18. S. Thomas ibidem quæst. 9. articul. 3. Richard. articul. 1. quæstio. 5. Paludanus dist. 20. quæstio. 2. Soto distinct. 20. quæst. 2 artic. 2. Canus de Pœnitent. p. 5. & multi præterea alij, quos citat Suarez de Satisfact. disp. 38. sect. 7. Conclus. 1. & 2. vbi prolixius declarat, quando obligatio acceptandi & perficiendi Pœnitentiam importet peccatum mortale vel veniale.

Quin-

Quintò quæritur: An per alium Confessarium Pœnitens procurare possit Pœnitentiam suam sibi minui vel mutari? per eundem enim Confessarium fieri rectè id posse apud omnes est in confesso, maximè cum is causam ac statum Pœnitentis intelligat. Alij asseuerarunt, si Confessarius Pœnitentiam mutans superior sit, aut æqualis illi, qui eam Pœniten-ti imposuit, iam rectè illam ab eo mutari posse; si verò sit inferior, fieri non rectè posse. Verbi gratia: Parochus aliquis non potest mutare Pœnitentiam ab Episcopo Pœnitenti iniunctam: non enim inferior potestatem habet mutandi ea, quæ fecit Superior. Alij, veluti Siluester verb. Confess. 1. quæstio. 27. Nauarrus capite 26. numer. 22. & Valentia de satisfact. punct. 4. in fine dicunt: Quemuis etiam Confessarium, siue æqualis sit, siue inferior, rectè mutare posse Pœnitentiam etiam à Superiore iniunctam, tribus tamen his obseruatis conditionibus: primò, si iusta subsit causa mutationis: secundò, ne id fiat extra Confessionem; iudicem enim esse necesse est, qui id facere debeat; iam verò Sacerdos non audiens Confessionem, non est iudex: Tertiò, vt difficile sit ad Superiorem recurrere,

rere, qui eam Pœnitentiam imposuit. Verbi gratia: Papa aut Episcopus in Pœnitentiam alicui iniunxit peregrinationem; iam verò contingit Pœnitentem in morbum incidere, aut ob grauem aliquam inimicitiam, quæ ipsi cùm alijs intercedit, impediri, quominus impositam sibi peregrinationem perficere possit; in tali casu potest Parochus illum absoluere: ratio est, quia Parochus legitimus iudex est Pœnitentis, quò ad statum præsentem. Cùm enim Pœnitens grauiorem illam Pœnitentiam adimplere, Superioremue commodè adire nequeat, meritò ab alio Sacerdote Parocho suo poterit adiuuari. Hanc sententiam, ceu probabiliorem, etiam tenet Suarez de Satisfact. disp. 38 sect. 10.

Sextò quæritur: Quomodo agendum cum eo Pœnitente sit, qui Confessus iam, Pœnitentiam sibi iniunctam morbo grauatus nequit adimplere? Respondeo: Hoc in casu eum vltra id quod potest non esse obligatum; aut satis esse, si tantùm dicat: IESVS, MARIA; aut sanè consentiente Pœnitente cùm alio poterit agere Confessarius, qui in Pœnitentia ista adimplenda vicem eius obeat: vbi tamen diligens adhibenda ratio est Confessario, ne peccatum aliquod Pœnitentis reuelet.

Septimò

Septimò dubitatur: Si sanus ac integer sit Pœnitens, cui iniuncta fuerit in Pœnitentiã aliqua peregrinatio, aut multorum dierum ieiuniũ, rectène possit curare eã Pœnitẽtiam per alios adimplendam? Respondeo, quòd ita, si tamen sequentes conditiones concurrant: primò, vt id fiat iustam aliquam ob causam: secundò cum consensu & approbatione Confessarij: tertiò, vt alter iste eam Pœnitentiam adimpleat non coactus, sed voluntariè: quartò, vt fructum aliquem pariat eiusmodi Pœnitentia, quoad diminutionem pœnæ temporalis, necessarium erit, vt vterque sit constitutus in statu gratiæ, & membrum Christi: Charitas enim facit, vt vnius membri actio alteri communicetur. Notat verò hîc Caietanus Pœnitẽtiam, quæ ab ipso fit Pœnitente magis iuuare quam si per alium fiat: non enim à pœna duntaxat, sed & ab instantibus morbis, ceu optima præseruatiua, Pœnitentem præseruat, eiusq; meritum auget; si verò per alium fiat, pœnam tantùm minuit. S. Thomas in addit q. 13. art. 2. dicit: si quis opus aliquod faciat satisfactorium, idq; alij applicet, iam pro isto altero satisfaciet, modò vterque sit in statu gratiæ: cùm enim membra sint eiusdẽ corporis, dubium non est, quin alter ab altero possit adiuuari. Vnde in Symbolo Apostolico dicitur: *Sanctorum cõmunionem*. Idem etiam affirmat

Valentia de Satisfact. punct. 3. §. Pertinet.

Obseruandum hîc est: Si Confessarius Pœnitenti iniungat Pœnitentiam simpliciter, nihil aliud adiiciendo, tum eam per ipsum Pœnitentem esse adimplendam, non verò per aliũ eius nomine; præsertim cùm Pœnitentia sit instar medicamenti seu pharmaci alicuius, quod ab ipso ægroto, & non ab alio sumi necesse est. Quòd si tamen concedat Confessarius, vt fieri per alium possit, valebit; alioquin non valebit, neque eo modo satisfiet præcepto Confessarij, cui citra euidentem aliquam causam non debet introducere nouum hunc satisfactionis modum; quippe qui in Ecclesia vsitatus non sit, nec vtilis ad finem huius Sacramenti consequendum: deinde etiam, quia Pœnitentia per alium peracta, non videtur rectè dici posse Pœnitentis medicina. Hæc est doctrina communis S. Thomæ in 4. d. 20. q. 1. art. 2. ac aliorum, quos citat Suarez de satisfact. disp. 38. sect. 9.

Octauo quæritur: An pœnitens, cui pro Pœnitentia iniunctum sit Rosarium recitare, aut Psalmos pœnitentiales, eos possit legere, dum Missam audit ex præcepto? Respondeo ob legitimam causam id fieri posse, alioquin communiter id fieri non debere; quia talis non est Confessarij intentio, &, si diffi-

difficulter Pœnitens satis attentus esse potest ad audiendam Missam, quomodo simul rectè Rosario Psalmisque pœnitentialibus recitandis poterit vacare: Non enim parum præstat, qui debita cum deuotione sacram Missam audit. Nihilominus Angelus verb. Feriæ, §. 46. Adrianus quæst. 1. de Satisfact. Medina Tract. 2. quæst. 48. & Suarez de Satisfact. disp. 38 sect. 6. circa finem absolutè tenent, id rectè fieri posse; quia talia non sunt incompatibilia.

Nonò quæritur: Si Pœnitenti iniungatur à Confessario aliqua Pœnitentia, per mensem integrum exercenda, & præfinito eam tempore non expediat, an elapso mense teneatur eam adhuc adimplere? aut vero ita se res habeat, quemadmodum cum ieiunio Ecclesię, quod qui statutis aut assignatis diebus non obseruat, peccat quidem, sed tamen elapso termino præfinito non amplius obligatur. Respōdeo aliam esse rationem cum Pœnitentia. Confessarij enim intentio est, vt ea Pœnitentia adimpleatur, etiamsi præfixum tempus elapsum sit. Deinde quòd Confessarius certum pœnitenti tempus ad perficiendam Pœnitentiam præscribit, non ideo fit, vt præcise eum ad id tempus obliget, quemadmodum facit Ecclesia in ieiunijs; sed tantùm, ne nimium differatur Pœnitentia.

Dicat aliquis: Cuiusmodi peccatum est,

si quis Pœnitentiam non admpleat tempore à Confessario præfinito? Respondeo ordinariè id veniale esse peccatum negligentiæ, quando citra causam differtur; si verò ob iustam causam differatur prorsus peccatum non est.

Decimò quæritur: Quando obligatus sit Pœnitens ad faciendam Pœnitentiam à Cõfessario illi sine certi temporis determinatione impositam? Respondeo: Quanto potest citissimè. Sic communiter sentiunt omnes; sic Sacramenti requirit integritas; sic ratio similitudinis, qua Confessio cum medicina comparatur, requirit: idem denique responsurus esset quilibet alius prudens Confessarius, si de intentione sua interrogetur. Quæ omnia moraliter sunt intelligenda.

Reperiuntur nonnulli, quibus scrupulus est ante adimpletam Pœnitentiam communicare. Illa Pœnitentia, etsi tam possit esse exigua, vt satius sit eam adimplere ante communionem: tamen id necessarium non est, neque ob id opus est vlla præcipitatione, per quam impediatur Pœnitens, quò minus debita deuotione Pœnitentiam suam adimpleat.

LIBER QVARTVS

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

De Præparatione ad Confeßionem.

PRimò, quàm diligentissimè conscientiam suam examinare debet Pœnitens, vt quoad fieri potest, accuratissimè peccata commissa in memoriam reducat. Sic (præterquam quòd ipsa id dictitet ratio) ipsum S. Concilium Tridentinum præcipit Sessione 14 cap. 5. Cùm enim particulatim ea confiteri necesse habeat, necesse etiam est particulatim ea scire ac cognoscere. Vnde Nauarrus cap. 9. num. 16. dicit: Qui nullo præuio examine accedit ad Confessionem, eum à Confessario non esse admittendum, excepto mortis aut scandali periculo, in quo casu Confessarij est id, quod à Pœnitente omissum est, supplere. Si enim propter defectum examinis per obliuionem mortale aliquod peccatum omittatur, non valebit Cōfessio; quia per culpam Pœnitentis stat, quò minus illa integra sit, quemadmodum superius est declaratum.

Quærat hîc aliquis: Quanta requiratur diligentia in instituendo examine conscien-

iæ, vt ad Cōfessionem sit sufficiens? Respondeo: Hac de re certam regulam dari non posse. Qui enim ex multo tempore non est confessus, diligentiori opus habet examine: similiter dicendum de ijs, qui maioribus negotijs sunt intricati, ac memoriæ laborant defectu. Generatim tamen id dici potest, tātam oportere adhiberi diligentiam, quanta in res maximi momenti collocari consueuit. Ita arbitratur S. Augustinus de vera & falsa Pœnitentia, cap. 14 vbi dicit: *Tantam inquisitionem debere fieri ere Pœniten. em, quantam faceret in negotio arduo.*

Hîc dubium aliquod occurrit: An dum conscientiam suam quis examinat, aut alio tempore, obligatus sit peccata sua scripto committere, ne videlicet eorum obliuiscatur? Respondeo secundùm communem opinionem, talem diligentiam non requiri, præsertim cùm scriptum natura sua publicum sit, multisque periculis expositum. Hinc Soto distinct. 18. q. 2. art. 4. ad vltimum dicit, id non modò necessarium non esse, sed nec cuiquam esse consulendum. Caietanus verbo Confess. condit. 11. id vtile ijs esse affirmat, quibus memoria debilis est, & rectè quidem. Animaduertendum tamen hîc est, si quis memoriæ iuuandæ gratia scriptis sua tradat peccata, tum ea inter confitendum non epistolij in modum le-

genda

genda esse; sed ita, vt se ipsum accusare ac reum constituere videatur, idque cum affectu aliquo ac debita doloris significatione.

Secundò. Contritionem ac dolorem habere debet Pœnitens de tot tantisque peccatis contra Deum Creatorem suum commissis; sed qui nascatur ex amore filiali, non ex pœnæ formidine, qui illo longè est imperfectior. Ad hanc rem imprimis expediet peccatori diligenter quid mortaliter peccando effecerit considerare Creatorem scilicet & Patrem suum cælestem offendit, à quo præ cæteris omnibus animantibus essentiam & naturam nactus est tam excellentem: eum offendit, à quo hactenus fuit conseruatus, cùm singulis illi momentis vitam auferre potuisset: benefactorem suum offendit, à quo tot tantisque beneficijs affectus est: eum offendit, à quo nunquam offensus fuit, sed quotquot possidet bona, ab illo solo est consecutus: ea in Diuinæ suæ Maiestatis conspectu admisit, quæ vt vel coram vilissimo mancipio committeret, meritò debuerat erubescere. Demum eum offendit, qui summa & infinita bonitas est, cuius gratia amare eum reuereri, omneque ei obsequium exhibere conueniebat. Porro ad hunc dolorem accedere debet firmum propositum quoduis potius detrimentum sustinendi

quàm denuo Creatorem Patremque suum offendere, quo deficiente nec vera erit Contritio, nec quicquam valebit Confessio.

Tertiò, quando accedit ad Confessionem, existimet se ad lauacrum accedere, in quo sanguine Domini nostri Christi lauandus sit à peccatis suis, ideoque ad eam accedere debet cum omni deuotione ac reuerentia, agendo gratias Deo tanti beneficij Authori.

Quartò, prouolutus in genua, facto signo Crucis, recitet *Confiteor* vsque ad ea verba: *Mea culpa*. Deinde tempus postremæ suæ Confessionis significet, declarando Confessario, si in illa peccatum aliquod mortale per obliuionem aut malitiam omiserit; aut Pœnitentiam sibi à Confessario iniunctam non adimpleuerit. Accuset semetipsum, quòd ad hoc Sacramentum non accedat ea, qua oportebat, præparatione. Mox omnia sua peccata, quorumcunque recordatur, cum necessarijs illorum Circumstantijs exponat, idque ita clarè ac distinctè, vt á Confessario commodè intelligi possit, quò ab eodem directionem auxiliumque consequatur. Cuius rei gratia non modò Pœnitentiam, sed & consilia, quæ à Confessario illi suggeruntur, prompto paratoque animo acceptabit, omnia ea remedia accipiendo,

quæ-

quæcunque ad emendationem vitæ expedire videbuntur.

PRIMVM EXAMEN, AC PRÆPARATIO EORVM, qui Confessionem vnius Anni, aut integræ suæ vitæ instituunt.

DE I. PRÆCEPTO.

Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me.

DEVM non supra omnes alias creaturas, imò propriam etiam vitam amare & honorare, est peccatum mortale.

2. Creaturam aliquam ceu Deum adorare, peccatum est mortale: hoc autem fit, quando quis vltimum suum finem ponit in eo quod adoret.

3. Articulum aliquem fidei non credere, peccatum est mortale.

4. Si quis volens de aliquo fidei articulo dubitet, id est, si placeat illi eiusmodi dubitatio, peccat mortaliter. Si quis autem non volens de fide dubitet, id est, si non placeat

illi talis dubitatio, orta nimirum fortuito ex aliqua cogitatione, non est peccatum. Quod si tamen negligens fuit in eiusmodi dubio remouendo, iam peccatum erit veniale.

5. Sententiæ alicui ex Euangelio, aut alijs S. Scripturæ Libris desumptæ non credere, aut de ea dubitare, mortale peccatum est, subintellige si volens quis dubitet.

6. Assiduè cum Iudæis ac Hæreticis familiariter conuersari, peccatum mortale est, si periculum subsit incidendi in dubium de fidei aliquo articulo, vel si à Superioribus id facere nobis sit prohibitum. Et qui conuersatur cum Excommunicatis, nominatim autem cum notorijs Clericorum percussoribus, peccat, & excommunicationem minorem incurrit.

7. Medicinam à Iudæis accipere propter vtilitatem ac necessitatem, non contemnendo Ecclesiæ prohibitionem, non est peccatum mortale.

8. Laici de rebus fidei cum infidelibus ac hæreticis disputantes, cùm earum rerum ignari sint, neque id facere sine periculo possint, peccant mortaliter, quia id ab Ecclesia prohibitum est.

9. Libros aut scripta Hæreticorum legens, aut scienter secum habens, mortaliter peccat, & excommunicatus est in Bulla Cœnæ Domini, præsertim si in istis Libris

fidei

fidei nostræ articuli oppugnentur.

10. Hæreticorum sectas aut dicta laudans cum intentione laudandi eum, cuius dictum est, peccat mortaliter, & est excommunicatus. Hoc enim est gratificari aut fauere hæreticis. Quod si vero id fiat cum intentione laudandæ veritatis, si in scriptis eorum reperiatur veritas, non est peccatum; dico si non intendamus eos laudare tanquam hæreticos.

11. Non confiteri fidem suam, quando citra scandalum confessio omitti non potest, aut si quis seriò à Magistratu & Iudicibus de fide examinetur, mortale peccatum est.

12. Firmiter credere, astra voluntatem nostram constringere posse, est peccatum mortale. Credere verò quòd inclinent, non est peccatum.

13. Diabolum inuocare, vt futura cognoscas, aut ob aliam causam, mortale est.

14. Cum Dæmonibus familiaritatem, aut pactum aliquod contrahere; aut in annulis, alioue quodam modo Dæmonem quasi cõclusum circumgestare, mortale, & quidem grauissimum est peccatum.

15. Somnijs superstitiosè credere, eaq; obseruare, adiungendo preces ad sciendas res futuras aut occultas, mortale est. Quanquã qui parum ijs fidei habet, aut ex simplicitate

ijs credit, a peccato mortali nonnunquam excusetur.

16 Credere somnijs, nullis aliarum rerum obseruationibus aut precibus adhibitis, non quidem mortale est, sed tamen periculum est, ne quem Diabolus, pro more ac consuetudine sua, dolis circumueniat.

17 Augurijs fidem adhibere, quæ arte aliqua aut pacto cùm Dæmonibus inito fiunt, per cantus ac volatus auium, aut alios animalium motus, vt in more positum erat antiquis, mortale est; sin verò ijs fides non adhibeatur, leuitas est.

18. Certos dies in peragendis aliquibus rebus obseruare cum superstitione, id est, falsum cultum Deo aut Sanctis exhibendo, mortale est: verùm eosdem propter temporis qualitates aut causas Astronomicas obseruare, non est peccatum.

19. Sortilegijs vti ad sciendum res futuras, pacto cum Dæmone inito, manifesto vel oculto, quemadmodum fieri solet in incantationibus, mortale est. Oblectationis verò causa, citra omnem incantationem, aut pactum cum Dæmone, sortem mittere, veniale est peccatum, vel nullum.

20. Verborum conceptorum enarratione supra naturæ ordinem aliquid moliri, veluti morbos præstigiosis modis curare velle, & similia attentare, mortale est. Potest tamen

tamen tanta esse alicuius simplicitas, vt nisi ab aliquo earum rerum gnaro informetur, peccatum, mortale non admittat. Idem dicendum de ijs est, qui secum certas schodulas signa ac characteres superstitiosos circumferunt.

21. Deum aut Sanctos blasphemare mortale est, si intelligamus nos dicere blasphemiam, quantumuis illa celeriter efferatur: sin vero aliquo affectu præuenti, ipsi quid dicamus non animaduertamus, veniale est peccatum.

22. Si quis dicat: *In despectum Dei aut Sanctorum*, vel si quis per membra pudenda Dei aut Sanctorum, ex ira vel ioco, cum notabili aliqua irreuerentia iuret, mortale est, quemadmodum etiam si quis dicat: Potestne Deus id facere? perinde ac si iustum non sit quod Deus fecit.

23. Si quis iuret per corpus, sanguinem, aut animam Dei, vel Sanctorum, sine intentione tamen blasphemandi, sed per modum tantum iuramenti, non est mortale: si quis vero per modum contemptus vel execrationis id fecerit, is mortale peccatum committit.

24. Male precari aëri, igni, aut alijs creaturis irrationabilibus citra intentionem contemnendi Deum, aut damnum proximo inferendi, non est mortale.

25. Tentare Deum, id est, velle vt miraculosè faciat Deus, quod per nosipsos possumus vel præstare, vel euitare, mortale est; vt si quis manifesto se vitæ periculo citra necessitatem exponat.

26. Votum rei licitæ non seruare, quando seruari potest, aut propositum sibi facere id non seruandi, mortale peccatum est; & quidem toties quis peccat mortaliter, quoties rem illam committit, quam ex voto facere prohibetur.

27. Voto se astringere ad rem malam, veluti ad vindictam, aut aliud quoddam peccatum mortale, & non obligat.

28. Vouere rem bonam, sed malo fine, & voti ordinationi contrario, vt si quis voueat peregrinationem suscipere alicuius indulgentiæ ergò, idque in despectum parentis, aut fornicandi causa, mortale peccatum est, & non obligat.

29. Differre & protrahere votum, cum exequi possis, & obligatus sis, semper peccatū est, fieriq́ue potest, vt si nimia mora interponatur, etiam fiat mortale.

DE II. PRÆCEPTO.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

1. IVrare per nomen Domini, vel Sanctorum; per animam, aut vitam suam, aut si-

mili modo, idq; falso, & scienter, peccatum mortale est. Et notandũ hic est, etiã si de vitæ agatur periculo, nihil tamen præter veritatẽ iuramento debere asseuerari, tũ quando quis obligatur ad respondendum, idq; secundum mentem eius, cui præstatur iuramentum.

2. Rem incertam, ceu certam & compertam iuramento confirmare, mortale est. Similiter dicendum de ijs, quibus res aliqua non aliunde certa est, quam ex aliorum relatione.

3. Si quis iuret magnum & notabile aliquod malum se facturum, mortaliter peccat; sed non obligatur tali iuramento.

4. Causam alicui præbere scienter falsum iurandi, mortale est, si is necdum iurare paratus erat.

5. Alios ad iurandum inducere, qui se, falsò iurare credunt, mortale est, nisi id ex officio quis faciat.

6. Si quis dicat: *Per fidem*, aut, *per fidem meam* citra intentionem iurandi, aut saltem nõ intendat iurare per fidem Christi, vel per ipsam veritatem, non censendus est facere iuramentum, & quidem si ita quoque falsum diceret, non peccaret mortaliter.

7. Nomen Dei, vel Sanctorum, aut S. Scripturæ loca in rebus vanis allegare, veniale est, nisi euidens ac manifestus aliquis Dei vel sacrarum rerum accedat contemptus.

8. Iurare per membra pudenda Christi vel Sanctorum, mortale est.

DE III. PRÆCEPTO.

Memento vt diem Sabbati sanctifices.

1. LAborare, vel alios indictis Ferijs, citra necessitatem, aut Superiorũ licentiam, ad laborem cogere, mortale est, nisi forte exiguo tempore duret: tum enim non est mortale.

2. Indictis festis vacare exercitijs ab Ecclesia prohibitis, mortale est. Huius generis quatuor sunt. Primum, comparare res nõ necessarias, aut ad quotidianum vsum requisitas: hinc tamen nundinæ excipiuntur, in quibus id permittitur. Secundum, exercere iudicia, & causas agere ciuiles. Tertium, de rebus criminalibus sententiam dicere citra necessitatem aliquam aut euidentem causam. Quartum, in iudicio citra necessitatem vel causam pacis, præstare iuramentum.

3. Missam, aut notabilem eius partem diebus festis citra causam iustã negligere, mortale est. Id contingit, vel si quis præsens Missæ non adsistat; aut si præsens quidem sit, sed vel dormitando, gesticulando, aut animum in diuersas partes distrahendo, bonam temporis partem traducat.

4. Horas Canonicas, aut bonam eorum

partem

partem intermittere, cum legere illas obligatus sis, peccatum est mortale. Qui beneficijs gaudet Ecclesiasticis, ad fructuum tenetur restitutionem pro temporis rata. Quod si vero quis vel non debito tempore eas recitet, vel cum interruptione, vel alioquin citra debitam deuotionem & attentionem, idque per negligentiã sine causa, peccatum est.

5. Si quis 20 annorum ætatem habens, ieiunare nolit Vigilijs indictis, quatuor anni temporibus, item in Quadragesima, peccat mortaliter, nisi legitima aliqua causa excusetur. Postulat autem ieiunij ratio, vt quis vnica cibi refectione de die contentus viuat, quæ an circa meridiem fiat, an vero circa vesperum, parum refert; abstinendo à carne alijsque cibis prohibitis. Si quis autem dispensationem impetrauerit manducandi oua, non idcirco ab obligatione seruandi ieiunij solutus est.

6. In Quadragesima non abstinere à carne, ouis, lacticinijs, si quis egressus sit annos discretionis, mortale est peccatum. Similiter de Vigilijs ac quatuor anni temporibus est sentiendum. Veruntamen in aliquibus locis, consuetudine ita permittente caseum ac oua in Vigilijs ac Quatuor anni temporibus licet manducare. Diebus quoque Veneris ac Sabbati carnem ac lacticinia comedere prohibitum est, nisi contrarium loci

con-

consuetudine introductum sit.

7. Non confiteri semel in anno, si annos discretionis excesseris, mortale est. Similiter si quis circa Festum Paschatis non communicet, præsertim si à superioribus suis id sibi iam per ætatem licere cognouerit, mortaliter peccat. Et quidem alibi tales Excommunicationem incurrunt Synodalem.

8. In Confessione mendacium dicere circa peccatum aliquod mortale, quod necessario confitendum est, est mortale.

9. Mendacium dicere circa peccatum aliquod veniale in Confessione, citra intentionem tamen contemnendi Confessionem; quia quis illud confiteri nolit; peccatum quidem mortale non est, sed graue tamen & periculosum.

10. Non confiteri omnia ea peccata, quæ quis credit vel dubitat esse mortalia, mortale est peccatum.

11. Citra Attritionem, aut dolorem, propositumq; à peccatis deinceps abstinendi, confiteri, & recipere Absolutionem, mortale est.

12. Si quis communicet, mortalis sibi peccati conscius, quod confessus non sit, cùm confiteri potuerit, aut de quo non habuerit Contritionem, mortaliter peccat. Quod si vero commoditatem confitendi non habuerit, posteaquàm eam nactus fuerit, confiteri debet, maxime si sit Sacerdos.

13. Si quis communicet non ieiunus, id est, si post mediam noctem, quantumuis exiguum, comederit aut biberit, mortaliter peccat, nisi forte in agone constitutus, sacrosanctæ se Eucharistiæ quasi viatico præmuniat.

14. Recipere Sacramentum aliquod in peccato mortali, de quo non debitam conceperis pœnitentiam, peccatum est mortale.

DE IV. PRÆCEPTO.

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.

1 NOn honorare Patrem & Matrem, iniuria, seu contemptu aliquo eos afficiendo, siue verbis, siue factis, mortale est peccatum. Sub nomine Patris veniunt etiam Superiores quorum potestati subiecti sumus, quales sunt Episcopi, Parochi, Reges, Principes, Præceptores, ac Tutores nostri.

2. Patri aut Matri in necessitate non subuenire, mortale est.

3. Parentibus, quam diu sub illorum potestate sumus, in re aliqua graui, vel domesticã gubernationem, vel bonos mores concernente, non obtemperare, mortale est.

4. Proximum mortaliter delinquentem non corrigere, præsertim si spes supersit emendationis, mortale est.

5. Pro-

5. Proximum venialiter peccantem (etsi ex eiusmodi correctione fructum aliquem speremus) non corrigere, veniale tantum est peccatum.

6. Liberos suos, aliosque domesticos in rebus fidei ad salutem necessarijs non instruere, aut non curare, vt vitam agant Christiano homine dignam, mortale est peccatum.

7. Non præstare Eleemosynam cognatis, alijsque in mortis periculo constitutis, aut alioquin graui inopia laborantibus non subuenire, mortale est peccatum, præsertim si omni aliorum auxilio sint destituti.

DE V. PRÆCEPTO.

Non occides.

1. OCcidere, aut vulnerare quempiam, citra Magistratus mandatum, est mortale.

2. Proximum odisse, aut damnum aliquod notabile illi imprecari, accedente consensu, mortale est: Si vero non adsit consensus, sed in primo adhuc motu eiusmodi odium consistat, etiamsi duret per aliquod temporis spatium, non est mortale. Veniale vero peccatum est, si quis in eo auertendo atque expellendo sit negligentior.

3. Alterius magno malo gaudere mortale est.

4. Aduersus proximum inimicitiam gere-

re, &

re, & occasionem quærere magnum illi & notabile aliquod damnum inferendi, mortale est: sin vero damnum notabile non sit, veniale tantum est.

5. Inimicitiæ significationem edere, aut communia amicitiæ signa proximo non exhibere, mortale est. Communia vero amicitiæ signa sunt, officia ac beneficia communia, veluti templa, hospitalia, fontes, Sacramenta, communis oratio, & similia. Quod si quis horum aliquo proximum defraudauerit, vel odio, vel citra iustam causam, mortaliter peccat. Sunt & alia particularia amicitiæ signa, qualia sunt salutationes conuersationes, cohabitationes, largitiones, munera ac preces, quæ pro certis ac particularibus fiunt personis. Ad hæc non obligamur, nisi scandalum vel notabile aliquod detrimentum ex eorum omissione ad próximum redundet, dum videt nimirum denegare nos ijs, quibus præstare ea quam facillimè poteramus.

6. Inimico offensam non remittere, sed pœnam pro ea expetere, præcipuè ad explendã libidinem nostram, mortale est. Si quis tamẽ pœnam exigat iustitiæ causa, non peccat.

7. Mortem aut aliam magni alicuius momenti calamitatem proximo, ex odio aut inuidia, deliberato animo imprecari, mortale est. Mortem vero alij precari, ne fiat deterior,

terior, aut ne alijs noceat, non est peccatum, si scilicet spes nulla superfit emendationis, quam expetere, & à Deo optare debemus.

8. Mulierem grauidam deliberato offendere vt abortiatur, mortale est: si vero casu id fiat, non est mortale; nisi forte eam omiserit diligentiam, quam in suis adhibere rebus consueuit.

9. Pharmaca sumere ad destruendam generationem, mortale est, in vtroque sexu tam masculino, quam fœminino.

10. Si quis in militiam proficiscatur, sciens belli causam iniustam esse, siue nesciens, modo sciri possit eam iniustam esse, mortaliter peccat.

11. Si quis dubitans, iustane belli causa sit, an iniusta, ad militiam se conferat, mortaliter peccat, nisi Principi bellum gerenti subiectus sit: si enim subditus eius sit, non peccat. Subditi vero Principis dicuntur eius Vassalli; item milites, qui assiduè circa illam versantur, semperque ei adsunt.

12. Lucri causa in militiam abire, nulla habita ratione, siue iusta siue iniusta belli sit causa, est mortale.

13. Si vnus contra vnum, aut plures contra plures, captandæ gloriæ causa, aut veritatis cognoscendæ ergò decertent, cum euidenti ac manifesto periculo, mortaliter peccant; si

verò

verò id fiat per modum duelli, iam Excommunicationem incurrunt.

14. Mala alicui citra legitimam auctoritatem comminari, mortale est.

15. Prædictis peccatis consilium vel auxilium præbere, aut aliquo modo de ijsdem participare, mortale est.

DE VI. PRÆCEPTO.

Non Mœchaberis.

1. ACtus Luxuriæ contra hoc præceptum perpetrati, cum Circumstantijs necessarijs, ac debito honestatis respectu, in Confessione exprimi debent:

2. Coitus cum bestijs mortale peccatum est, & quidem inter huius generis peccata omnium grauissimum. Hic satis est dicere actum ipsum cum bestijs vel consummatum vel attentatum esse.

3. Peccatum contra naturam, id est, masculorum cum masculis, aut fœminarum cum fœminis commixtiones, aut masculorum cum fœminis in loco indebito, mortale est.

4. Coitus cum cognatis proprijs, vel vxoris vsq; ad quartum gradum inclusiuè, incœstus est. Qui vero incæstum commisit cum alterius coniugum cognatis, debitum quidē matrimoniale reddere potest, at non exigere.

5. Coitus cum alterius coniuge perpetratus,

tratus, adulterium est; cum virgine stuprum; cum religiosa professa, aut quæ ordinem sacrum suscepit, sacrilegium est. Similiter si quis rem habeat cum personis voto castitatis obstrictis. Omnes hasce circumstantias in Confessione exprimere necesse est; ita tamé, vt caueamus, ne quem nominatim in Confessione vllo modo manifestemus.

6. Cum susceptore vel susceptrice, qui nos ex fonte Baptismatis leuârunt, aut Patrini nostri fuerunt (vti vocantur) ratione Sacramenti Confirmationis, rem habere, incœstus est spiritualis; propter spiritualem cognationem, quæ inter tales intercedit: debitum tamen matrimoniale non impedit.

7. Actus pollutionis studio procuratæ aut proueniens ex negligentia refrænandi prauas cogitationes, mortale peccatum est. Hic nihil attinet modum explicare, sed animum tantum, si nimirum intentus fuerit in masculum, an in fœminam, cognatam, vel religiosam, vti supra, demonstratum est latius. Item si actus iste commissus sit in Ecclesia, necessario erit commemorandum.

8. Pollutio nocturna, quæ fit in somnis, peccatum est mortale, si causa eius fuerit mortalis, id est, si vigilãs aliquis actũ carnalem expetierit Mortale etiã est, si quis euigilans delectationem ex eiusmodi actu luxurioso percipiat; Et hic circumstantiæ explicandæ sunt,

vti dictum est supra. Si verò ratio per somnum absorpta fuerit, aut à sensu præuenta, non erit peccatum mortale.

9. Viri vel mulieris partes verendas contrectare voluptatis causa, aut vt ad libidinem aliquis excitetur, mortale est. Similiter aliquam osculari lasciuè, aut cum intentione ad ipsum actum procedendi. Quod si cum ipso actu eiusmodi contrectationes misceantur, nihil attinet eas in Confessione explicare, quippe cùm in ipso actu comprehendantur. Si verò vltimus actus secutus non fuerit, necessarium est ipsas in Confessione exprimere.

10. Ornare se, ac faciem fuco oblinire, cum intentione aliquem ad peccatum libidinis prouocandi, peccatum est mortale. Si qua verò id faciat, vt marito suo placeat, vel ne deformis esse videatur, non est peccatum mortale.

11. Vanas cantilenas canere, siue componere, quo quis semetipsum, vel alium ad peccatum Luxuriæ prouocare possit, est peccatum mortale.

12. Tripudiare, fidibus ludere, cantare, aut odores pretiosos Luxuriȩ causa circumferre, mortale est peccatum: ad recreandos verò sensus ea facere, vel veniale, vel nullum omnino est peccatum.

13. Manducare certos cibos ad prouocandam

dam venerem extra Matrimonium, mortale est peccatum.

DE VII. PRÆCEPTO,

Non furtum facies.

1. FVrari rem magni alicuius momenti, mortale peccatum est: sin exigua res sit, veniale est, nisi quis animum habeat plus furandi, si possit; tũ enim est mortale. Similiter dicendum, si ex furto alicuius rei leuissimæ notabile aliquod ad eius dominum resultet detrimentum; si tamen is, qui furtum commisit, id animaduertat, aut animaduertere teneatur.

2. De furto participare, si res furto ablata alicuius sit valoris, mortale peccatum est, id quod contigit contrahendo cum fure, furem adiuuando, eumque, vel res furtò surreptas receptando, atq; occultando.

3. Alios in vendendis vel emendis mercibus alicuius momenti dolosè circumuenire, vel incautos de rei vitio non monere, mortale peccatum est.

4. Alteri suum non restituere cùm possis, aut debiti solutionem, quàm par sit, diutius inuitis creditoribus protrahere, aut mercedem operarijs non persoluere, mortale peccatum est.

5. Pecuniam suam fœnori exponere, aut in depo-

depositum dare, cum pacto aut intentione lucrandi vltra sortem, mortale est.

6. Munus aliquod à persona Ecclesiastica acceptare, contra constitutionem Clementis VIII. Pont. Max. peccatum est, & si non restituat, cùm possit, absolui nequit.

7. Vendere rem aliquã cum pacto eandem rẽ ab emptore redimendi, idq́; citra vendendi intentionem; aut emere rem quampiam cum pacto eandem rem venditor reuendendi citra intentionem emendi, vsura est, & peccatum mortale.

8. Vendere rem aliquam pretio rigidissimo, siue extraordinariè caro, ratione temporis, in quod differtur solutio; aut minoris rem aliquam emere ratione pretij præcepti siue anticipati, mortale peccatum est.

9. Victigalia defraudare in rebus alicuius momenti, mortale est peccatum, & ad restitutionem obligat.

10. Instrumenta, litteras, vel sigilla cum proximi detrimento falsificare, mortale est. Et quidem in aliquibus locis Excommunicationem incurrunt, qui instrumenta, multò magis qui literas Apostolicas falsificant.

11. Loca ad Ecclesiam pertinentia demoliri, aut incendio absumere, mortale est. Si quis verò in eiusmodi loco destruendo aliquid, quod ad Ecclesiam pertineat, furto auferat, Excommunicationem incurrit.

12. Rem furto ſublatam ſcienter receptare vel emere, vt eam retineas, mortale eſt, niſi res minima ſit ac exigui momenti.

13 Proximum iniuſtè impedire, quominus officium, beneficium, aut alia bona alicuius momenti conſequatur, mortale eſt.

14. Qui odio litem alicui mouet iniuſtam, ſolutionis ſubterfugiendæ vel protrahendæ cauſa, mortaliter peccat, & tenetur ad reſtitutionem, vnà cum omnibus ijs, qui ſcientes, aut cùm ſcire deberent, iniuſtæ cauſæ patrocinantur.

15. Bonum opus alicui diſſuadere, aut malum opus ſuadere, mortale eſt peccatum, ſi res ſit alicuius momenti.

16. In militiam ire, prædæ faciendæ cauſa, mortale eſt.

17. Qui differt præſtare ea, quæ ad pias cauſas legata ſunt, peccat, niſi exiguo admodum tempore differat, quo largiores ſcilicet Eleemoſynas elargiri poſſit.

18. Dare alicui mutuò frumentum malum, vt tantūdē illi reſtituatur frumenti boni, vel eo tempore motuò dare, quo vel non bene prouenerit, vel pretium eius iacuerit, vt tantundem illi reſtituatur eius pretio adaucto; ſiquidem id ad illud vſq; tempus comprimi aut aſſeruari ſine magnis ſumptibus non poterat, mortale peccatum eſt.

DE VIII. PRÆCEPTO.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

1. FAlsum in iudicio perhibere testimonium, mortale est. Consimiliter rem, quam certò exploratam non habeas tanquam certam asseuerare, est mortale.

2. Mendacium dicere cum notabili damno proximi mortale est; citra verò eiusdem præiudicium, veniale.

3. Malè loquens de proximo, eumq; infamans, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur.

4. Peccatum proximi, quod occultũ erat, detegere, mortale est. Si quis tamen alteri proximi peccatum reuelet, animaduertens nihil se sua admonitione proficere, hoc fine, vt peccator ad meliorem frugem reducatur, non peccare, sed opus charitatis præstare, censendus est.

5. Grauia aliorum peccata recensere, quæ iam à multis sciuntur, aut facillimè resciri possunt, veluti eorum, qui à Magistratu publica sententia condemnati sunt, vel non est peccatum, vel duntaxat veniale, si scilicet id

id fiat honesto aliquo fine, omni odio & inuidia remota: sin verò ex odio id fiat aut inuidia, graue & mortale peccatum est.

6. Ex solo auditu de alijs malè loqui, etsi peccatũ magnum sit, non tamẽ est mortale; nisi fortè id eo fiat modo, vt ex eiusccmodi narratione auditoribus planè res innotescat quæ occulta ante fuerit, & infamiæ labem adferat: aut certè si graui id odio fiat, aut inuidia; tum enim mortale peccatũ est.

7. Malè loquentibus de proximo facilè aures accommodare in rebus magni momenti, idque cum voluptate quadam, nascente ex odio seu eius inuidia, cuius famæ detrahitur, mortale peccatum est: causam verò ad id præbere, multò grauius est.

8. Si peccata proximi parùi momenti sint, aut quidem magni momenti, verùm notoria, tum, qui citra malam intentionem ea lubenter audit, venialiter duntaxat peccat.

9. Proximum conuitijs proscindere cum graui famæ detrimento, mortale est, vt si appelles, furem, Proditorem, Cornutum, &c. Similiter dicendum de his, qui graues minas proximo intentando, eum notabiliter terrore aut mœrore conturbant, nisi fortè id fiat debito modo, & ad eius emendationem.

10. Talibus conuitijs proximum lacessere,

quibus

quibus ad blasphemiam eum aliaue pecca-ta prouocari iam ante experimento didiceris, mortale est.

11. Secretis susurrationibus inter alios inimicitias ac discordias excitare, mortale est.

12. Verbis vel cachinnis proximũ apud alios irridendo confundere, & dedecore aliquo efficere, cum notabili eius detrimento, mortale est.

13. Proximo maledicere, serioque & ex animo malum illi imprecari, mortale est: sin verò id seriò non fiat, veniale solum peccatum est.

14. Proximum iniustè de graui aliquo crimine accusare, mortale est.

15. De vero & graui crimine quenquam accusare, sed odio & vindictæ cupiditate, mortale est.

16. Testamentum, siue supremam alicuius voluntatem impedire, mortale est. Et tenetur quis ad resarciendum damnum, quibuscunq; per tale impedimentum fraus facta est.

17. Impedire Matrimonium citra iustam causam, mortale est. Similiter etiam ad certum aliquod Matrimonium ineundum aliquem cogere, mortale est peccatum.

18. Liberos, fratres, aut alios quoscunque impedire, quominus religionem ingredian-

tur, mortale est. Similiter etiam mortale est, eos ad religionem velle compellere.

DE IX. PRÆCEPTO.

Non concupisces vxorem proximi tui.

1. QVi copulam carnalem extra Matrimonium adeò desiderat, vt si posset, ipsum actum consummaret, mortaliter peccat. Et quidem si cum coniugata, adulterium mentale committit; si cum cognata, incæstum; quemadmodum supra dictum est in 6 præcepto. n. 5.

2. Delectatio morosa, quæ capitur ex cogitationibus impudicis; etiam sine voluntate ipsum actum consummandi, si cum periculo pollutionis, aut præbendi consensus sit coniuncta, peccatū mortale est Et hîc explicandum est, in masculumne an verò in fœminam animus fuerit intentus. Si in fœminam, in coniugatamne, an solutam? item in cognatam? &c. veluti explicatum est supra in præcepto 6, n. 5 Quod si verò eæ cogitationes neq; morosæ, neque cum periculo præbendi consensus, aut pollutionis fuerint coniunctæ, peccatum duntaxat erit veniale.

3. Desiderans amari illicitè à viris siue fœminis, nihil pensi habens de peccato eorum, peccat mortaliter. Multo magis, si nutibus alijsue signis ad impuras incitet & inducat cogitationes.

4. Fœminas siue viros ad libidinem allicere, cum animo actum ipsum consummandi, nihilque æstimare, si proximus in luxuriæ peccatum inducatur, mortale peccatum est.

5. Qui se vestit vel ornat cum intentione aliqua ad luxuriam prouocãdi, peccat mortaliter; qua deficiente intentione, cessat etiam peccatum mortale.

6. Occasionem præbere, quò ameris illicitè, mortale peccatum est: ea intentione deficiente non est peccatum.

DE X. PRÆCEPTO,

Non concupisces rem proximi tui.

1. INordinatè rem alterius concupiscere contra iustitiam, mortale est. Et notandum hîc est, si quis concupiscat furari rem alterius, eum furtum committere: si pecuniam fœnori exponere, vsuram: similiter qui desiderat alicui per vim apertam rem suam eripere, eũ committere rapinam: qui

rem sacram subducere, sacrilegium, & sic deinceps. Ideoq; hic eiusmodi Circumstantias exprimi omnino necesse est.

2. Qui desiderat inuenire rem alterius cum animo eandem retinendi, si res ea sit alicuius momenti, mortaliter peccat.

3. Simplex cogitatio, & subitò animum transuolans, quā res supra dictas expetimus quidem, ita tamen, vt delectationi ex ea ortæ non immoremur, aut inordinatè obstinatione animo appetituq; eas persequamur, non est peccatum.

DE VII. PECCATIS MORTALIBUS,

Et primò quidem de Superbia.

1. SVperbia perfecta siue deliberata, cum consensu, circa materiam maximi momenti, semper peccatum est mortale: imperfecta verò superbia, est peccatum veniale. Est autem perfecta superbia, quando creatura Deo, vel ei⁹ legi ac ordini, Ecclesiæ, vel alijs suis superioribus se submittere recusat; quando itē vltimum finem in propria excellentia ac laude cōstituit; quā cunctis præcellere, præq; se omnes alios contēnere præsumit. Imperfecta superbia est, quādo quidē nimium quis appetit propriam excellentiā, veruntamen ita, vt & Deo & Ecclesiæ se submittat; aut si plenarius non accedat consen-

sus siue cùm quis negligentior est in repellendo superbiæ vitio.

2. Si quis putet nō à Deo sed à se habere bona tā animi quā corporis, mortaliter peccat.

3. Si quis bona quæ habet, non Deo, sed suæ tribuat iustitiæ, perinde ac si Deus homini ex meritis suis, puta ieiunij, eleemosynæ, aliorumue operum, gratiam suam principaliter impertiretur, mortaliter peccat.

4. Peccat mortaliter, qui dignum se existimat Episcopali dignitate, idoneumq; se ad regendas animas præsumit: & per consequens, etiam eiusmodi dignitatem honoris aut prouentuum præcipuè causa affectare, mortale peccatum est.

5. Dignitates & honores aucupari, præceptorum tam Dei quàm Ecclesiæ cura posthabita, mortale peccatum est.

6. Vltra modum ac vires suas res maximi momenti ex præsumptione & arrogantia in se suscipere, mortale peccatum est, vt si idiota aliquis, iudex esse velit, aut aduocatus, aut Confessarius, aut medicus.

7. In aliorum secreta inquirere cum intentione ijs notabile aliquod damnum inferendi, mortale peccatum est; citra verò eam intentionem, non est mortale.

8. Deliberatè & fraudulenter auscultans cōfitentem, mortaliter peccat, & obligatus est tenere secretum, quicquid audiuit.

9 Aliorum litteras ad proximi contemptum & iniuriam aperire, mortale peccatum est, etiam intentione contemptus ac iniuriæ deficiente, si hinc aliquod ad proximũ damnum aut notabilis iniuria resultet, nisi, quò minus id fiat, totis viribus ac debita diligentia præcauerit.

10 Proximum perpetrari peccati mortalis citra sufficientes coniecturas ac indicia temere iudicare, mortale peccatum est.

11 Proximum non omnino pertinaciter de peccato mortali arguere, sed suspectum tantùm habere ex probabilibus quibusdam coniecturis, non est peccatum.

12 Proximum venialis peccati reum firmiter opinari sine sufficientibus signis & coiecturis, veniale est.

13 Proximo adulari, id est, in præsentia eũ laudare, ob admissum aliquod peccatum mortale, puta ob vindictam notabilem de aliquo sumptam, aut ob luxuriam, mortale est: Sin verò quis eum laudet ob veniale peccatum, venialiter tantùm peccat.

De vanagloria.

1. FAMAM ac gloriam ab hominibus quærere, in eaq; extremam felicitatem ponere, id est neglecta cura præceptorum Dei aut Ecclesiæ, soli mundanæ gloriæ acquirendæ inhiare, mortale est.

2. Appetere gloriam mundanam, ita vt in ea ſupremam felicitatem non colloces, neque præcepta Dei aut Eccleſiæ negligas, nõ eſt mortale; ſed veniale vt plurimum, ac periculoſũ: quippe cùm ad fallacis huius mundi amorem nos perſæpe inducat.

3. Gloriari de peccato mortali admiſſo, vel admittendo mortale eſt.

4. Se, vel alios iactare ob peccatum mortale cũ complacentia quadam, mortale eſt.

5. Ornans ſe ob vanam gloriam, ponendo in ea vltimum ſuum finem, poſthabitis præceptis Dei vel Eccleſiæ, item neglecta cura propriæ vel proximi ſalutis, mortaliter peccat: ſin verò in ea vltimum finem non ponat venialiter tantùm peccat.

De Auaritia.

1. DE Auaritia multa dicta ſunt in ſeptimo & nono Præcepto.

2. Litem iniuſtam alicui mouere, aut defendere in re magni momenti, mortale eſt.

3. Inter ludendum fraude vti, ad lucrandã rem alicuius momenti mortale eſt.

4. Ludere cum intentione omnia lucrandi, in fraudem & damnum eius, quocum ludis, graue peccatum eſt.

5. Ludere de re aliqua notabili, eamq; lucrari à non habente eam in poteſtate ſua,

mortale peccatum est. Eiusmodi verò potestate carēt vxor, seruus, religiosus professus, filius adhuc in patria potestate constitutus pupillus, &c. tum scilicet, cùm nihil habent proprij. Est enim aliquando, cùm & serui, aliæque iam dictæ personæ aliquid habeant proprij. Secus est, si ludatur de re parui momenti, & quantitate exigua, quæ a Superioribus toleretur & concedatur.

6. Dare vel accipere pecunias, aut aliam quamuis rem secularem hoc fine, vt quis renuntiet beneficio Ecclesiastico; mortale peccatum est. Similiter præuia conuentione pacisci, puta, si quis dicat: Has aut illas preces Psalmosue recitare nolo, nisi dederis tantum, species est Simoniæ.

7. Nummos, aut aliud quiduis donare, aut officijs aut laudibus aliquē sibi demereri ad cōsequenda officia Ecclesiastica, pro se, vel pro alijs, mortale peccatū est, Simoniæ scilicet: non sequente verò effectu, dicitur simonia mentalis siue conuentionalis.

8. Cōferre aut resignare alicui Ecclesiastica beneficia siue procurare, vt ea cōferātur seu resignentur cognatis aut amicis ob id principaliter, quia parētes & amici sūt & nō potius quod ijs digni sint, mortale peccatū est.

9. Nonnunquā peccatur mortaliter nimio & inordinato rerū amore, puta, si tanta eas sollicitudine conquiramus & conseruemus,

vt ea præpediti negligamus sumptus necessarios facere, immites efficiamur aduersum pauperes, non succurrendo eorum egestati: item felicitatem nostram in congerendis diuitijs constituamus, creditoribus denuò non satisfaciamus & mercedem operarijs debitam ex auaritia retineamus.

De Luxuria.

1. PRæter peccata sexto & nouo præcepto enumerata, alia nonnulla sunt, scilicet sequentia. Primò, deliberatè voluptatem carpere ex cogitationibus luxuriosis, etiam deficiente intentione eas cogitationes in effectum deducendi, est mortale peccatum.

2. Effundere semen extra vas debitum, ad impediendam videlicet conceptionem, vel aliam causam, mortale est; quemadmodū etiā quouis alio modo cōceptionē impedire.

3. In actu matrimoniali de alia muliere cogitare, quàm de sua; aut de alio viro, accedente deliberato animi consensu, mortale peccatum est.

4. Negare debitum coniugij cum pertinacia, non extante causa sufficiente, puta infirmitate, aut alio quouis iusto impedimento, mortale peccatum est.

5. Non habere se modo debito in actu matrimoniali, modò ne impediatur conceptio, mortale peccatum non est: si tamen id fiat causa maioris delectationis, est veniale.

6. Vsus

6. Vſus matrimonij tempore menſtruorum, ſecundum aliquos approbatos Authores, non eſt peccatum mortale.

7. In contrahendo matrimonio ſolemnitates neceſſarias, & ab Eccleſia commendatas negligere, mortale peccatum eſt. Quod ſi verò id fiat clam, non adhibito Parocho, vel alijs teſtibus, mortale peccatum eſt, & inualidum matrimonium.

De Inuidia.

1. INuidere alicui, id eſt, deliberatè de bono alterius notabili dolere, mortale peccatum eſt: ſecus ſi ſubreptitiæ, vel de paruo; tum enim veniale tantùm eſt.

2. Proximi calamitate notabili gaudere, aut malum illi imprecari per inuidiã, mortale peccatum eſt: Secus ſi leue aliquod ſit malum, aut leuiter tantùm gaudeamus, tum enim veniale tantum eſt.

3. Aliorum ſecreta reuelare, mortale peccatum eſt, ſi damnũ hinc aliquod ad proximum redundet, ſi id fiat proximo inuito, aut ſi reuelans promiſerit id tenere ſecretum, perinde ac ſi in Confeſſione accepiſſet, aut iuramento ſeſe ad ſilentium obſtrinxiſſet.

4. Aliorum ſecreta detegere contra promiſſionem ſimplicem, ſi notabile non ſequatur detrimentum aut triſtitia proximi, non eſt mortale.

De Ira.

1. IRa adeo cõmoueri, vt ratio ipſa conturbetur, mortale peccatum eſt. Pari modo motaliter peccat, qui præ iræ impatientia ſemetipſum verberando, & in terram præcipitẽ dando, notabili aliquo dãno afficit.
2. Iraſci contra proximum cum intentione afficiendi illum ſi poſſis, damno notabili per modum vindictæ, mortale peccatam eſt. Similiter & mortale eſt deſiderare aut procurare, vt per alium id fiat.
3. Si quis à proximo offenſus adeò illi iraſcatur, vt æquis eum intueri oculis non poſſit, malumq́ue illi imprecetur accedente rationis conſenſu, mortaliter peccat. Si verò mali nihil illi imprecetur, aut conſenſus rationis non accedat, veniale tantum peccatum eſt.
4. Seditionem excitare in populo, aut diſcordiam, citra bonũ aliquem finem & cauſam legitimam, fouere, mortale peccatũ eſt.
5. Murmurare contra Deum, dicendo eum non bene facere, aut malè facere in aliquibus, ſi id ex animi procedat ſententia, mortale peccatum eſt
6. Obmurmurare proximo ſuo, & malè loquendo notabiliter eius honorem lædere, mortale eſt: ſin quod dicitur publicum eſt, neque ex ſiniſtra promanet affectione, veniale tantum peccatum eſt, vel nullum.

De Gula.

1. PEccatum Gulæ regulariter est veniale, veluti comedere præposterè nimis, lautè, ac ardenter. Mortale porrò est, si in ea ponatur vltimus finis: item si quis Gulæ causa violet, aut animum habeat violandi, præceptum Dei vel Ecclesiæ, cùm notabili damno salutis propriæ, vel proximi.

2. Qui scienter se inebriat, aut alios inebriari curat, siue seriò, siue iocosè, mortaliter peccat.

3. Si quis vini potentia nō animaduersa, inebrietur præter voluntatem, non peccat mortaliter: secus si eam animaduertat nec tamen sibi caueat.

4. Inducere aliquē ad violandū ieiunium, ad quod erat obligatus, mortale est. Similiter dicendū, si quem incitaueris ad manducandū cibos, quos illi manducare per votum non licuit, nisi fortè is ad faciendum id vltro iam ante fuerit paratus.

De Acedia.

1. ACedia, qua tepidus homo redditur & negligens in studio rerum diuinarū, regulariter Veniale peccatum est: excepto, quando intermittuntur quæ à Deo vel Ecclesia præcipiuntur; puta si quis intermittat corrigere proximum mortaliter delinquentem.

tem, præsertim si ex tali correctione probabiliter fructus aliquis poterat expectari: tum enim mortale peccatum est.

2. In bonis operibus tædio & fastidio affici, si non sint magni momenti, veniale peccatum est. Similiter, si cui displiceat tam varia peccatorum genera à Deo esse prohibita.

3 Per negligentiam suam committere, & causam esse, vt infans aliquis citra Baptismũ excedat è vita, mortale peccatum est.

4. Si quem pœniteat fecisse bonum aliquod opus, ad quod faciendum obligatus erat, ita, vt non faceret, si factum non esset, mortale peccatum est.

5. Dolere quia peccatum aliquod mortale non perpetraueris, cuius perpetrandi habueris occasionem, mortale peccatum est.

6. Si quis proponat sibi præceptum aliquod non seruare, puta, si proponat sibi non ieiunare in Vigilia alicuius Sancti, aut non audire Missam die festa ab Ecclesia indicta, etiamsi postmodum ieiunet, & Missam audiat, nihilominus committit peccatum mortale mentale.

7. Sibiipsimet mortem precari nimia impatientia aut desperatione, mortale est: quemadmodum etiam mortale peccatum est, in necessitatibus de auxilio diuino desperare.

De operibus Misericordiæ.

1. Opera Misericordiæ corporalia vel spiritualia intermittere tum, cùm proximus in extrema est necessitate, id est, cùm versatur in periculo animæ vel corporis, neque quisquam est qui illi subueniat, aut ex alio titulo illi subuenire est obligatus, mortale peccatum est.

2. Opera Misericordiæ corporalia sunt Visitare ægrotos, esurientes pascere, sitientibus dare bibere, captiuos redimere, operire nudos, hospitio peregrinos suscipere, mortuos sepelire.

3. Opera Misericordiæ spiritualia sunt: Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, pro salute proximi Deum orare, consolari mœstos, ferre patienter iniurias, offensam remittere.

De peccatis in Spiritum sanctum.

Species huius peccati sunt sex, quarum prima est:

1. Præsumptio de misericordia diuina, qua quis sibi persuadet, foret sibi vt Deus peccata sua ignoscat, etiam in peccatis perseueranti, neq; de vitæ emendatione sollicito. Vbi animaduertendum, aliud esse peccare cum spe consequendæ gratię à Deo, qua à peccatis resurgere possis: aliud verò præsumere fore, vt Deus tibi peccata

cata condonet , etiam in ijsdem perseueranti. Prius illud leuius est peccatum, alterum verò peccatum est in Spiritum Sanctum.

2. Secunda species est: Desperatio, qua quis ita de diuina misericordia desperat, vt putet non esse Deum, qui remittere peccata possit, suamq; gratiam impertiri, etiamsi medijs vtatur ad hoc à Deo ordinatis.

3. Tertia est: Agnitæ veritatis impugnatio, qua malitiosè quis fidei, aliaq; cognita iam sibi dogmata impugnat.

4 Quarta est: Fraternæ gratiæ inuidia, qua quis dolet gratiam & gloriam Dei inter homines & in Ecclesia Dei crescere, ad honorem suæ Diuinæ Maiestatis.

5. Quinta species est Obstinatio in peccato mortali, qua quis in eo desiderat perseuerare quoad viuit.

6. Sexta demum species est: Impœnitentia peccatorum præteritorum, qua quis proponit sibi citra Pœnitentiam ex hac vita excedere.

De quinque sensibus, de septem donis Spiritus sancti, de septem Sacramentis, & de Virtutibus Theologicis nihil attinet hic vlterius agere, quippe cùm sub iam dictis omnia ista cõprehendantur. Reliquũ est vt vnus quisq; se accuset de peccatis, quæ in statum & officium suum incidere vt plurimum

consueuerunt. De quibus infra dicetur Libro quinto. In hoc porrò examine omnia illa comprehendi, quæ in Panormitani Confessario continentur, cuius etiam eundem ferè ordinem seruaui.

SECVNDVM EXAMEN,

Et præparatio ijs deseruiens qui semel in Mense confitentur.

Peccata contra Deum.

1. EXaminabit primò, habuerit ne dubium aliquod de rebus fidei, aut in eas æquo curiosius inquisiuerit. Item si somnijs, alijsque augurijs fidem adhibuerit.

2. An in necessitatibus & angustijs de Deo conquestus fuerit anne illi confisus fuerit, & si gratias illi pro beneficijs egerit.

3. Si, cùm obligatus sit ad certa officia orationesque recitandas, eas cum debita deuotione & attentione recitauerit.

4. Si nomen Dei in vanum vsurpauerit, itemq; de sanctis eius, & rebus sacris parum reuerenter fuerit locutus.

5. Si iurauerit citra reuerentiam, contra veritatem, aut sine necessitate item cum qua intentione.

6. Si in casu aliquo, vbi de honore Dei agebatur

gebatur, intermiserit respectu hominū loqui ea, quæ loqui conueniebat ad gloriam Diuinam præsertim vbi poterat, & ad id obligatus erat.

7. Si votum aliquod fecerit, quod non seruauerit.

8. Si festis diebus cum debita deuotione ea peregerit, quæ ad cultum Diuinum requiruntur, & speciatim si audiuerit Missam, idemque vt fieret ab illis curauerit, qui curæ suæ sunt commendati.

9. Si festis diebus labores prohibitos exercuerit ipse, vel ab alijs exerceri curauerit.

10. Si Vigilias & Ecclesiæ Ieiunia diligenter obseruauerit.

11. Si sanitatis vel alterius rei gratia superstitionibus aut fascinationibus sit vsus.

Peccata contra Proximum.

In his pœnitens examinabit.

1. SI procliuis fuerit, ad malè suspicandū de alijs, & in re graui temerariè de quoquam iudicauerit.

2. Si odium aut rancorem aduersus quempiam gesserit.

3. Si mortem aut aliud damnum alicui

optauerit, aut animum habuerit aliquo modo cuiquam inferendi damnum.
4. Si alijs inuiderit, contristatus scilicet eorum bono successu, gauisus verò illorum malis ac infortunijs.
5. Si erga personam aliquam inordinato effectu & amore sensuali ac carnali affectus fuerit.
6. Si cui Testamentum facere prohibuerit, animumue Testatoris per vim aut dolum à benefaciendo alijs reflexerit.
7. Si famæ alicuius detraxerit, aut falsò cum intentione mala, mali quid de alio dixerit, aut si peccata eius diuulgarit
8. Si de Prælatis aut Principe suo malè locutus fuerit, aut contra eos murmurauerit.
9. Si susurronibus, de alijs illicita loquentibus, facilè aures dederit, auscultando, causam ijs præbendo, vt malè loqui pergerent.
10. Si, cùm obligatus erat, & cum fructu probabiliter fieri posse videbatur, proximi correctionem intermiserit.
11. Si mendacia dixerit, aut facta alterius cum prę iudicio eius præter veritatem exaggerauerit.
12. Si contumelia aliquem affecerit, aut illum irriserit.
13. Si maledixerit, aut malum proximo imprecatus fuerit, viuo vel demortuo.

14. Patres ac matresfilias si liberis aut alijs ex familia maledixerint, aut malum imprecati fuerint: si, cum oportuit, eos repræhenderint, & in mores vitamque eorum, vt Christianos decet, inqu sierint.

15. Si alij adulatus sit, aut malum consilium dederit, incitando ad malum, aut a bono retrahendo, aut alio quouis modo ansam dissolutionis ac peccati præbuerit.

16 Si de rebus lasciuis locutus fuerit, atq; ita scandalum præbendo, proximi ædificationem impediuerit.

17. Si parentibus, aut maioribus suis, morem non gesserit, aut debitam ijs reuerentiam non exhibuerit.

18. Qui familiam habent, si quos ex ea malè tractauerint, aut castigare eos neglexerint in ijs rebus, quibus honor Diuinus offendi, aut animarum salus impediri videbatur.

19. Si ab ira vinci se passus fuerit, atque ita damnum alteri intulerit.

20. Si re alterius fuerit abusus, operarijs mercedem subtraxerit, aut quod licitè ijs promiserat, non seruauerit.

21. Si in emptione, vel venditione dolo malo vsus fuerit, aut alio modo proximum bonis suis temporalibus defraudauerit.

22. Si eleemosynas erogare, & pauperibus pro modo facultatum suarum subuenire neglexerit.

23. Si respectu aut intuitu humano opus aliquod bonum intermiserit, quod ad gloriam Dei, & salutem sui, vel proximi spectare videbatur.

Peccata contra seipsum.

Vbi examinabit sequentia.

1. SI quis meliorem se ac alijs excellentiorem existimauerit, propter bona aliqua interna vel externa, quibus sibi videtur ornatus esse, ideoque per vanam gloriam ab alijs laudari ac præferri desideret.

2. Si cogitationibus otiosis, vanis, ac ambitiosis cum delectatione immoratus fuerit; honores item, diuitias, & dignitates, &c. inordinatè expetierit.

3. Circa castitatem considerabit, si tentationes carnis habuerit, aut alias fœdas concupiscentias, & cogitationes immundas, quibus immoratus ac delectatus fuerit, non protinus eas reijciendo.

4. Si in se, suisque rebus laudandis & extollendis nimius fuerit.

5 De colloquijs ac sermonibus otiosis, iocosis, aut parum honestis.

6. Si ex impatientia aut desperatione Dia-

bolum inuocauerit, aut malum sibi ipsimet fuerit imprecatus.

7. Si visu, vel tactu, alioue quouis modo malis tentationibus occasionem præbuerit, aut aliud peccatum cõtra honestatem Christianam admiserit.

8. Si occasionem dederit illusionibus nocturnis de ijs complacentiam ac oblectationem habuerit aliquam.

9. Iuniores, præsertim fœminæ, si vestitui nimium indulserint, propter vanitatem, vt videlicet alijs placerent cum intentione mala.

10. Si in edendo ac bibendo excessu peccauerit, aut cibos lautos nimis ac exquisitos desiderauerit, quærens sensui hac in parte potius, quam naturæ satisfacere.

11. De tempore in ludos illicitos, aliasue delectationes parum honestas malè collocato.

12. Si Luxuriosus nimis extiterit, in inquirendis ac videndis rebus nihil ad se pertinentibus.

13. Si cum dissolutæ vitæ hominibus conuersatus sit, qui incitauerint eum ad mala, aut alioquin peccandi se periculo occasioniue exposuerit.

14. Si libros lasciuos, aut prohibitos legerit.

Porro vnusquisque confiteri poterit pec-

cata ſtatum & officium ſuum propriè concernentia, de quibus in Libro ſequente.

In ſecundo hoc examine ea pleraq; comprehendi, quæ habet R.P. Bruno in Tractatu de Confeſſione noſtro propoſito accommodata.

TERTIVM EXAMEN,

Et Præparatio ijs præcipuè deſeruiens, qui ſemel aut ſæpius confitentur in Septimana.

Primò quoad Cogitationes examinabis.

1. SI tentatus fueris cogitationibus ſuperbiæ, odij, vanæ gloriæ, aut ſimilibus, & quomodo circa eas te geſſeris, aut habueris.

2. Si phantaſmatibus inhoneſtis delectatus fueris, & ſi negligens fueris in ijs reijciendis.

3. Si de proximo temerariè, id eſt, ſine indicijs ſufficientibus iudicaueris, idque in re graui, ſiue leui?

4 Si mala deſideria habueris, puta, vindictæ, philautiæ, ac ſimilia.

5. Si diligens fueris in diſpellendis diſtra-

ctioni-

ctionibus, quæ in orationibus, alijsq; deuotionis exercitijs animo tuo obrepserint.

6. Si cogitationes habueris inutiles, scrupulosas, & animam inquietantes: item quomodo in ijs te habueris.

Secundò in verbis examinabis.

1. SI mendacium dixeris, in re graui, vel leui; si cum iuramento, ac proximi detrimento.

2. Si temetipsum, tuasque res nimium laudaueris.

3. Si aliorum famæ detraxeris, aut quod boni de ijs dicebatur, extenuaueris, & qua intentione.

4. Si ad iram commotus fueris, aut cum alijs, præter necessitatem, contenderis.

5. Si iuraueris citra necessitatem, veritatem, aut reuerentiam.

6. Si alij maledixeris, & seriò illi mala imprecatus fueris.

7. Si citra debitam reuerentiam, ac cum ira aut indignatione nomen Dei vsurpaueris.

8. Si S. Scripturæ verbis ad iocos & dicteria abusus fueris.

9. Si sermones protuleris iracundos, contumeliosos, otiosos, aut amarulentos.

Tertiò in operibus examinabis.

1. SI Pœnitentiam à Confessario tibi iniunctam adimpleueris, & diem, qua communicasti, ea qua par est pietate & deuotione transegeris.

2. Si quid admiseris contra præcepta Dei vel Ecclesiæ aut votum violaueris.

3. Si, cum laudabaris, in hoc gloriatus fueris, & iniquè tuleris, cum parui pendi te animaduertisti.

4. Si in edendo ac bibendo excessum commiseris cum damno valetudinis tuæ.

5. Si curiosius fueris in rebus scrutandis, aut videndis, quæ nihil ad te pertinebant, quin potius deuotionem tuam impediebant, animumque tuum in rebus diuinis faciebant tepescere.

6. Si quem voluntariè dolore affeceris, aut præter rationem aut modum contristaueris.

7. Si Superioribus tuis, in quorum es potestate, obtemperare recusaueris.

8. Si in somno pollutus fueris, si tali pollutioni causam præbueris, aut de ea tibi complacueris.

Quartò in Omissione examinabis.

1. SI quid eorum, ad quæ obligatus es, facere omiseris, puta, ieiunare in Sanctorum vigilijs, Missam audire, & similia, & qua de causâ.

Quid po

A
ſt
p
renouan
vitæ,imp
municus
ieſtatem
rum com
nere à pe
num inſi
miter ſib
one ac ſ
pertinen
peccata
mere ac
ad vitæ
tutibus
arripere

Remedi

PRi
pr
pl
propoſi

Quid post absolutam Confeßionem Pœnitenti factu opus sit.

ASoluta Confessione, primò è vestigio adimplenda Pœnitenti est Pœnitentia à Confessario iniuncta, renouandum est propositum emendandæ vitæ, implorandumq́ue à Deo auxilium, quo munitus nihil contra Diuinam suam Maiestatem sanctamq́ue eius legem in posterum committat. Et quia non est satis abstinere à peccatis, & declinare à malo; sed bonum insuper etiam facere necesse est: hinc firmiter sibi debet proponere, maiore deuotione ac feruore rebus ad animæ suæ salutem pertinentibus incumbere, bonis operibus peccata retro temporibus commissa redimere ac compensare, demum ea media, quæ ad vitæ emendationem, & progressum in virtutibus faciendum conducere videbuntur, arripere.

Remedia & media aliqua ad emendationem vitæ vtilia.

PRimum remedium est, firmiter sibi proponere in posterum nullum amplius peccatum committere. Quod propositum subinde renouandum est, &

imploranda gratia Diuina, tum præcipuè matutino tempore, tum verò quotiescunque se deficere aut tepescere quis animaduertit.

Secundum remedium est, fugere occasiones ad peccatum inducere solitas; puta, ludos, praua consortia, familiaritatem cum personis suspectis, oculorum & auditus, curiositatem, multiloquium, excessum in edendo ac bibendo, præter quàm naturæ requirit necessitas. Scriptum enim est: *Mortem intrare per fenestras.*

Tertium & quidem præsentissimum, est remedium, quam diligentissimè principijs obstare tentationum, scintillas scilicet malarum cogitationum opprimendo, priusquam vlterius prolapsæ ipsum tandem cor accendant: fiet autem id percommodè si sanctissimum nomen Iesu expresseris, signo te Crucis signaueris, aut Christum in Cruce pendentem, & ob tua peccata acerbissimos patientem cruciatus, ob oculos posueris.

Quartò, bonum illud propositum, Deum non amplius offendendi, non mediocriter adiuuabit, si in audiendo Verbo diuino, & bonorum librorum lectione assiduus fueris. Verbum enim Dèi cor animumque colligit, mitigat affectus, & voluntatem bonis desiderijs implet.

Quintum remedium est, assiduò se ante con-

conſpectum & præſentiam Dei ſiſtere, cogitationum & operationum noſtrarum teſtem, & iudicem aliquando futurum. Quòd ſanè nihil aliud eſt, quam ſi tibi imagineris Deum præſentem in omnibus pariter cogitationibus ac actionibus adſiſtere. Quod etſi per ſe veriſſimum ſit, præſenſque Deus quæcunque facis intueatur: fieri tamen vix poteſt, quin homo per talem reflexionem continuò in omnibus actionibus, Diuina ſibi præſentia ab oculos poſita, multò modeſtior ſit, accuratiuſque ſolito rationem habeat, ne quid homine Chriſtiano indignum, & quo oculi Creatoris & Iudicis ſui offendantur, committat.

Sexto, ſi quis animaduertat carnis ſuæ rebellionem, vtiliſſimum fuerit corpus ſuum aſperius nonnihil tractare, tam quoad ſomnum, cibum, potum, veſtitum, quam alia, ex quibus capere conſueuit delectationem. Cùm enim inordinatorum affectuum incentiuum ſit caro, neceſſario ſequetur, tanto futuras debiliores ipſas paſſiones, quanto erit debilior caro, à qua ipſę procedunt.

Septimum remedium eſt, vt quis otium fugiat, originem ac fomentum omnium vitiorum, procuretque, vt diabolus ſemper eum inueniat honeſto vel corporis, vel mentis exercitio occupatum, ne qua illi in animam aditus pateat.

Octauò, non parum momenti habet consideratio, cùm earum rerum, quæ incutere timorem homini solent; puta mortis, extremi iudicij, vel pœnæ æternæ, quæ præparata est omnibus peccatoribus: tum vero beneficiorum Dei, suarumque promissionum, quibus excitatur ad amandum Deum, & detestandum omne id, quo Diuinam suam Maiestatem putet offendi posse.

Nonò, efficacissimum remedium foret frequens Sacramentorum vsus, Confessionis scilicet, ac Communionis: cùm (teste Apostolo) præcipuum remedium contra peccata sit gratia Diuina, quæ hisce Sacramentis mediantibus obtinetur, quippe cùm à Christo Domino instituta sint, veluti cœlestis ac certissima medicina, qua non tantum liberemur à peccatis, sed quæ inordinatos etiam nostros sanet affectus, passiones reprimat, infirmitati nostræ subueniat, & demum amorem in nobis accendat, quo inflammata nostra voluntas facilius prauis inclinationibus resistat, tentationesque tam mundi, quam carnis ac dæmonis vincat ac domet.

Præter enumerata remedia, plura sunt particularia, & singulis defectibus propria atq; accommodata, quæ singuli sibi vsurpare ac applicare poterunt, secundùm consiliũ Cõfessarij. Vtilissimum autem fuerit omnia

tam

tam hæc, quam illa remedia, magno animo quam promptissimè arripere, & cum perseuerantia certissimam sibi spem de victoria, in auxilio Christi Domini nostri fundata, obtinenda polliceri.

LIBER QVINTVS.

De particularibus diuersorum statuum peccatis, & primò:

De peccatis Principum, aliorumque tam Dominorum, quàm subditorum.

QVæ nunc dicturi sumus, eorum bonā partem ex capite 25. Manualis Nauarri desumpsimus. Peccata igitur, quæ Principes committere vt plurimum solent, sunt hæc.

1. Si gubernent principaliter ob voluptates, & non propter commodum suorum subditorum.

2. Si ad cumulandas opes, citra causam legitimam, subditos exactionibus onerent, præterquam quòd peccant, etiam tenentur ad restitutionem eius, quod præter æquitatem ijs extorserunt.

3. Peccant, si per incuriam, aut auaritiam vias in ditione sua reparare negligant, vnde viatores notabile damnum incurrant.

4. Si leges pœnales ſtatuant, non ob communem, ſed priuatam vtilitatem, vt lucrentur ex eius tranſgreſſione.

5. Non ſolùm peccant, ſi vſurpent bona populi, verùm etiam, ſi minis & importunis precibus adigant aliquem ad dandum ſibi ſua bona ſine iuſta cauſa, & tenentur ad reſtitutionem.

6. Si populum impediant, quò minus libertates & priuilegia ſua tueatur.

7. Si neceſſitate non exigente, noua tributa exigant, etſi bono fine, peccant tamen, & tenentur ad reſtitutionem.

8. Si cogant ſubditos domos ædificare, & agros colere, ad id non obligatos, ſine integra ſolutione.

9. Si vendant officia, etiam quæ vendi poſſunt, ſed tam carè, vt probabiliter credant forè vt ijs abutantur, & populum opprimāt.

10. Si Officiales imperitos, ineptos, & malæ conſcientiæ præficiant; aut tales, cùm id ſciuerint, non deponant, cùm id citra Reipublicæ periculum & damnum fieri commodè poſſit, peccant & tenentur ad reſtitutionem.

11. Si directè aut indirectè aliquem ſubditorum ad certum matrimonium cogant, vel ſine iuſta cauſa à contrahendo impediant, grauiter peccant. Et concilium Tridentinum ſeſſione 24. cap. 9. ipſo facto excommunicat Principes, ſubditos ſuos impedientes,

tes, quò minus contrahere matrimonia liberè possint.

12. Si subditos, cùm possint, non cohibeant à furtis & latrocinijs, alijsque damnis illicitis, peccant cum obligatione restituendi & resarciendi damna alijs illata.

13. Si in terris suis negligant tollere abusus, vt vsurarum, falsæ mensuræ & ponderis; item iniusti pretij, peccant, & ad restitutionem tenentur.

14. Si condemnent aliquem sine publica probatione, vel non concessa defensione vel inauditum veneno, vel quouis modo interfici iubeant.

De peccatis Vniuersitatis siue Reipublicæ.

Magistratus, id est, ij, qui gubernant Communitatem, in sequentibus regulariter delinquunt.

1. SI officijs publicis præficiant personas, quas probabiliter sciunt adeò ære alieno oppressos, tamque profligatæ conscientiæ, vt sine iniustitia & damno subditorum, ijs præesse nequeant.

2. Si, cùm ex officio teneantur ciuitati prouidere de frumento, vino, alijsque rebus, ad victum humanum necessarijs, id per incuriã suo tempore procurare omittant, peccant;

& si

& si per talem eorum negligentiam, culpam, aut vtilitatem priuatam, damnum patiatur Communitas, obligantur ad damnum resarciendum.

3. Si Magistratus matrmonij libertatem impediat, adigendo aliquem contrahere matrimonium cum certis personis, prætterquam quod peccat, etiam ipso facto est excommunicatus à Concilio Tridentino sessione 24. cap. 9. de Reformatione.

4. Magistratus, superiorem agnoscens, si noua subditis vectigalia imponat, vel vetera augeat, citra licentiam eius, qui eam concedere potest, peccat, & excommunicatus est in Bulla Cœnæ Domini, Excom. 6.

5. Magistratus nihil eorum, quæ ciuitatis sunt, alienare potest, aut donare citra peccatum, & restitutionis obligationem, nisi id fiat in vtilitatem ipsius ciuitatis aut Reipub.

6. Si in ferendis suffragij fraudulenter agant, propriaque moti vtilitate aliud dicant, quam in Conscientia sentiant publicum commodum ciuitatis requirere, peccant, & tenentur ad resaciendum damnum.

De peccatis Iudicis.

1. PEccat cum obligatione resarciendi dāni, quisquis. Iudicis officium suscipit indignus, & ad iudicandum ineptus. Similiter

liter & is, qui intentionem non habet iuſtè iudicandi, maximè contra potentes, etiamſi poſtea iuſtè iudicet.

2. Si propter fauorem aut lucrum iuſtam ferre ſententiam negligat, ſine iuſta cauſa expeditionem differat, aut ſcienter iniuſtam ferat ſententiam. Et ſi Eccleſiaſticus ſit Iudex, ſuſpenſus eſt, & celebrando ſit irregularis.

3. Si non habens iuriſdictionem, verbi gratia, exemptum iudicet, ſi ſine ſufficienti probatione, aut priuſquam rectè proceſſum viderit, ſi legum ordinem non obſeruet, ſi terminos neget neceſſarios, aut ampliores quàm par ſit concedat, in præiudicium partis, peccat.

4. Si, cùm claris verbis vti poſſet, in ferenda ſententia obſcuris potius vtatur, vt poſtea de verborum intelligentia denuò ſit litigandum.

5. Si iuſtis Papæ mandatis, & etiam Prælatorum non pareat aut non ſeruet Excommunicationes aut Interdicta, peccat.

6. Si vexet Eccleſiaſticos in perſonis vel bonis, aut prohibeat ſecularibus, ne emptionem aut venditionem cum Eccleſiaſticis exerceant præterquam quod peccat, etiam eſt excommunicatus.

7 Si velit & iubeat extrahi à loco ſacro illuc confugientes. Hac libertate non gau-

dent

dent Iudæi, infideles, & hæretici nisi confugiant ad locum sacrum, vt se conuertant.

8. Si condemnatis ad mortem deneget commoditatem recipiendi sacramenta, maximè si ipsi requirant.

9. Si non visitet carceres, aut rebus ad victum incarceratorum necessarijs non prouideat: item si (cùm fieri id potest) non procuret, vt Festis indictis incarcerati Missam audiant.

10. Si extra casus permissos in carcerem conijciat, quem scit esse Clericum, aut ab officialibus suis captum, suo statim Iudici non restituat, peccat, & Excommunicationem etiam incurrit.

11. Si in die festa, non vrgente necessitate, testes iurare faciat, aut actum Iurisdictionis exerceat.

12. Si castiget aliquem causa vindictæ, inuidiæ, vel odij peccat, etsi, qui castigatur, deliquerit, castigationemque promereatur.

13. Si ipso consentiente & permittente officiales fraudulenter agant, & plus, quàm par sit, accipiant, tum, nisi id officiales restituant, ipse iudex, cuius officiales sunt, tenetur restituere.

14. Si quid accipiat, vt iustam ferat sententiam, ad quòd ex officio obligatus est, peccat cum obligatione restituendi; multò magis si quid acceperit, vt iniustè pronunciet

sen-

ſententiam: tum enim & læſæ partis damnum reſarcire tenetur.
15. Si inquirat in delictũ occultum, aut contra id ſine ſufficientibus indicijs procedat.

De peccato Aduocati & Procuratoris.

Aduocatus & procurator in ſequentibus regulariter delinquunt.

1. SI, cùm idonei non ſint, talia officia exerceant, cum obligatione reſarciendi damnum parti læſæ.
2. Si ſcienter cauſam defendant iniuſtam, obligantur ad reſarciendum damnum & expenſas ſuis clientibus, ſi eos non ante, vt oportebat, monuerint litem iniuſtam eſſe.
3. Si in principio putauerint cauſam eſſe iuſtam, deinde iniuſtam inueniant, ſtatim vt nouerint, debent deſiſtere, non tamen aduerſario id manifeſtare.
4. Si ob notabilem eorum negligentiã perdant iuſtam cauſam, peccant cùm obligatione reſarciendi damnum parti: ſimiliter dicendum eſt, ſi ob ignorantiam perdant iuſtam cauſam, ſi pars eius ignorantiam ignorauit.
5. Si ſuperfluas dent dilationes, vel teſtes ſubornent ad falſum, vel ne verum dicant, peccant, & tenentur ad reſtitutionem.

6. Si

6 Si Instrumentum falsum præsentent, vel falso leges allegent, peccant, & tenentur ad resarciendum damnum.
7. Si secreta detegant magni momenti, & parti aduersæ faueant, vt scilicet clientes illorum in damnum incurrant, peccant, & parti læsæ damnum resarcire tenentur.
8 Si stipendium accipiant maius debito, & quám mereantur.
9. Si non subueniant pauperi extrema necessitate auxilij laboranti. Egentibus enim non pecunia tantùm, sed arte etiam (si ita res ferat) succurrendum est. Qui verò ex officio pauperes adiuuare tenentur, puta Aduocati & Procuratores pauperum, etiam ad interesse tenentur pauperibus, qui ex illorum culpa & negligentia damnum patiuntur.
10. Si parti aut alijs consulant veritatem negare, qui manifestare eam obligati sunt, aut si Instrumenta occultent, quæ faciunt pro parte aduersa, tùm cum ea edere & exhibere tenentur.
11. Si cum Cliente de quota litis parte paciscantur, aut, vt victa lite tantum sibi soluatur, quod sine peccato fieri non potest, quippe cùm id legibus prohibitum sit, ne videlicet præbeatur occasio talibus personis vincendi etiam causam iniustam lucri causa, quod hinc sperant. Possunt tamen de

cer-

certa summa pacisci in omnem euentum, siue scilicet lis vincatur, siue perdatur.

De peccatis Actoris & Accusatoris.

QVi scienter falsò accusat, peccat cum restitutione interesse: sin ignoranter tenetur subitò, vbi nouit, ab accusatione & lite desistere.

2. Peccat etiam qui verè accusat, sed animo malo mortali, aut eo tempore, quando non debebat.

3. Si aliquid accipiat ob discessionem à lite etiam non iusta, peccat, & tenetur cùm ad restitutionem, tum etiam ad resarciendum damnum.

4. Si in accusatione etiam vera falsis vtatur testimonijs, & instrumentis.

5. Si quem accuset coram iudice non competente, peccat.

6. Qui cum magno damno spirituali vel temporali Reipub. pecccantem non accusat, si aliter impedire non potest peccat.

7. Peccat, qui posteaquam aliquem accusauit, postea impedit expeditionem.

8. Peccat etiam accusator, qui promittit, se non accusaturum delictum nondum commissum, sed committendum.

De peccatis Rei.

Reus peccare poterit in sequentibus.

1. SI scienter causam iniustam defendat cùm damno notabili aduersarij.

2. Si ad prolongandam litem cauillationibus aut dilationibus vtatur iniustis, aut sine causa iudicem competentem refutet.

3. Si iuridicè interrogatus etiam ad mortem non respondeat vera: iuridicè verò interrogari dicitur, quando iudex competens est, delictum notorium, aut semiplenè probatum, quæ probatio fit in processu, & reo constat. quarum conditionum si vna duntaxat defecerit, reus non peccat.

4. Reus condemnatus ad mortem, si necdum confessus sit, quod confiteri debebat, si damnum hinc alteri immineat, iudici aperire tenetur: sin secus, satis est, si id Confessario suo duntaxat aperiat.

5. Reus sciens se iustè condemnatum ad soluendum, si ad differendam executionem appellat, peccat, & tenetur ad interesse.

6. Peccat reus, qui condemnatus ad mortem, vel aliam pœnam corporalem, si è carcere fugiens Carcerarium, aut alios Iustitiæ ministros iniuria afficiat: alioquin non peccat, etiamsi carcerem effringat, idque cum aliquo

aliquo etiam damno Carcerarij atque custodum.

7. Peccat etiam reus, si iurauerit se reuersurum ad carcerem, quo asseruabatur competenter, & reuersus non fuerit, etiam vitæ periculo imminente.

De peccatis Testium.

Testis in sequentibus casibus potest delinquere:

1. SI sciens, aut dubitans, falsum affirmet, etsi non iuratus, aut verum taceat: & si cum damno notabili tertij, tenetur ad restitutionem. Neque hîc iusto timore excusari potest: vt enim timor excuset à testificatione, à falsa tamen testificatione nullo modo excusat.

2. Si postquam verum deposuit, vti ille putabat, postea se errasse intelligat, tenetur reuocare quod dixit, modo illa reuocatio prodesse possit.

3. Si testificetur verum, putans se falsum testificari, peccat quidem; sed ad nullam tenetur restitutionem.

4. Si mercedem accipiat, vt falsum testetur, peccat; sed non tenetur eam restituere ei, qui dedit: sed, si velit, eam pauperibus dare poterit; damnum tamen. quod ex eius-

modi falso testimonio resultat, resarcire tenetur.

5. Si mercedem accipiat, vt testetur verum, peccat, & tenetur eam danti restituere. Citra tamen peccatum testis accipere poterit, quod ei debetur ratione lucri cessantis, & damni emergentis; itē impensarū quas fecit.

6. Si iuret se non testaturum in casu, quo tenetur; aut si sciens suum testimonium esse necessarium ad seruandam iustitiam, non rectè se excuset. Item si se abscondat, aut absentet, ne testetur verùm.

7. Similiter si sciens testimonium suum esse necessarium ad præcauendum damnum aliquod notabile, publicum, vel priuatum, & non se offerat in testem, etiamsi promiserit, vel iurauerit seruaturum secretū, peccat.

8. Si sciat aliquem in extrema necessitate opus habere suo testimonio, & non se offerat in testem, peccat; sed non tenetur ad restitutionem damni: quia tantum peccat contra charitatem.

9. Vt peccat, qui non se offert in testem, quando tenetur: ita etiam peccat, qui se offert, quando non debet

10. Si à competente iudice iuridicè interrogatus, aut testari iussus, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ veritatem celet citra legitimam causam, peccat, & tenetur ad resarciendum damnum.

11. A denuntiatione, aut manifestatione criminis, quā fieri iudex iubet, varijs de causis quis excusari potest. Primò, si peccatum est occultum, & qui id commisit, emendatus, aut sola fraterna correctione credatur esse emendabilis. Secundò, si is, à quo id audiuit, id ipsum vel denuntiauerit, vel denuntiaturus sit. Tertiò, si audiuerit à personis non fide dignis. Quartò si quis, quod tenet, in cōpensationem teneat eius, quod sibi debetur citra fraudem. Quintò, si nouit per Confessionem. Sextò, si probabiliter notabile aliquod damnum timeat temporale vel spirituale, aut scandalum. Septimò, si ex suo testimonio maius nascatur damnum ei, contra quem testificatur, quàm futura si vtilitas eius, pro quo testificatur.

12. Aduocati, Medici, Confessarij, quibus multa secreta communicata sunt, circa lites, morborum causas, aut conscientiæ scrupulos, citra peccatum testificari ea secreta non possunt, nisi aliunde ea nouerint, vel secreta in aliorum notabile damnum redundarent. Peccata verò, quæ quis nouit sub secreto sigilli Confessionis; nullo modo manifestari possunt.

13. In casu, quo quis non debet, si testari iubeatur à iudice, respōdere poterit, se ad id nō teneri, aut si iudicis irā timeat, dicat, se nihil scire, subintelligendo, quod dicere teneatur.

De peccatis Notariorum.

Notariorum peccata hæc sunt:

1. SI non seruent, quæ se seruaturos iurauerunt, cùm ad illud officium promouerentur, puta non reuelare secreta Instrumentorum sine causa iusta, non conficere Instrumenta illicita, retinere registrum aut Protocollum Instrumentorum, esse fidelem, non abuti suo officio, multaque id genus alia, secundum varias consuetudines diuersarum regionum, ac regnorum.

2. Si instrumentum, aut alias scripturas falsas conficiant, aut per malitiam, notabilemue ignorantiam malè conficiant, dubiam aut obscuram claussulam subiungendo, aut necessaria aliqua ommittendo, cùm damno tertij, aut interferendo aliqua, præter partium consensum, peccant cum obligatione damni resarciendi.

3. Si quid occultent, aut deleant in Instrumentis, peccant; & damnum, quod hinc ad proximum redundat, vnà cum interesse resacire tenentur.

4. Si malitiosè, aut per incuriam, solemnitates in Instrumentis requisitas omittant, puta, nomen, sigillum, testes, diem, mensem & annum, aut registrationem in Protocollum.

5. Si

5. Si requisiti Instrumenta aut Scripturas, cùm debent, non exhibeant, aut sine causa ea tradere differant, cum damno partis peccant, cũ obligatione ad resarciendũ damnũ.
6. Si obligantes se, aut renunciantes non informent, quantum intersit, iuri suo, quod fortè ignorant, renuntiasse; Item quantum valeat obligatio, qua se obstringũt, peccant.
7. Si in die festo, non vrgente necessitate, ob solam auaritiam, Instrumentum conficiant, cùm in aliud commodè reijci tempus id potuisset, peccant.
8. Si pauperibus, non valentibus iura soluere, Instrumenta, aut alias scripturas necessarias non velint conficere.
9. Si in publicam formam statuta scribant, vt soluantur vsuræ, aut solutæ non repetantur, vel contra libertatem Ecclesiæ, præterquam quòd peccant, etiam sunt Excommunicati.
10. Si Testamentum conficiant carentis vsu rationis, peccant, & ad restitutionem tenentur successuro ab intestato.
11. Si in Testamentis clausulas dubias ponant, aut omittant à Testatore requisitas, peccant, & ad satisfactionem tenentur ei, ad quẽ hinc notabile aliquod damnũ redundat.
12. Si pro conficiendis Instrumentis accipiant stipẽdiũ notabiliter maius debito, aut si, cũ publicũ illis cõstitutũ est stipendiũ, nihil-

ominus tamen ſtipendium accipiant, etſi ſponte oblatum, peccant: nec ſufficit excuſatio, quòd id faciant Superioribus, vel Judicibus permittentibus, cùm & ipſi tali permiſſione delinquant.

13. Si pro literis Ordinatorum aliquid accipiant; ſi tamen nihil de publico eis detur, poſſunt pro labore aliquid accipere, conſiderata qualitate laboris, non Ordinis, id eſt, non eſt accipiendum plus pro Ordine maiore, quàm minore. Legatur Concil. Trident. ſeſſ. 21. ca. 1. vbi Coronati decima pars Notarijs conſtituitur.

14. Si inſtrumenta conficiant de contractu vſurario, aut alio modo illicito, & Eccleſiaſticis legibus aduerſante, peccant.

15 Si inſtrumenta parti contrariæ exhibeant, aut quid actum ſit referant, quod cum damno alterius partis facere non debent, peccant cum obligatione ad reſtitutionem.

16. Si in Proceſſibus, alijſue ſcripturis aliter ſcribant, quàm teſtes deponant, peccant. Et ſic tam in his, quàm alijs defectibus delinquentes, non solùm peccant, ſed obligantur etiam ad damnum & intereſſe reſarciendum, quando peccatur contra iuſtitiam.

De pec-

De peccatis Executorum Testamentorum.

1. TEstamenti executor peccat primò generaliter, si, cùm possit, testatoris voluntatem, & quo iussit modo, non per omnia exequatur. Particulariter deinde peccat, si facultatibus suppetentibus, debita & legata non soluat, maximè pia: debitis etiam vota realia defuncti connumerantur.

2. Si bonis non sufficientibus, prius legata soluat, quàm debita.

3. Si notabilem moram trahat in soluendo eo, quod debet ex voluntate Testatoris.

4. Vidua, vsufructuaria relicta à marito dum castè viuat, si post commissum stuprum fructibus vtatur, peccat cum obligatione ad restitutionem: sin relicta sit dum nubat, non tenetur ad eam pœnam. Idem dicendum de marito, ab vxore ijsdem conditionibus vsufructuario relicto.

De peccatis Tutoris.

1. PEccat Tutor vel Curator, si bona pupilli non conseruet aut tueatur.

2. Si non vrgente necessitate aut vtilitate res hæreditarias alienet.

3. Si sua culpa ius aut actionem aliquam pupilli perdat.
4. Si non vendat inutilia, & emat vtilia, si potest.
5. Si negligat notabiliter pupillum bonis moribus imbuere.
6. Si fecerit vsuras pro pupillis.
7. Peccat etiam mater pupillorum, si post secundas nuptias, aut commissum stuprum, tutelam administret, quod non potest.

De peccatis Hospitalariorum.

1 PEccat Hospitalarius, non consumens redditus in fines à fundatoribus præfixos.
2. Si Hospitalarij negligentia bona hospitalis perdantur.
3. Si onera hospitalis complere negligat, secundum statuta Concilij Tridentini sessione 25 de Reformatione.
4 Si Hospitalis ædificia corruentia non curet restaurari. In omnibus his peccat cum restitutione ad resarciendum damnum.

De peccatis Ludimagistrorum.

1 LVdimagister peccat, si imperitus, & inidoneus, munus suscipit alios erudiendi.

2. Si falſa doceat, aut prohibita; vbi tanto peccat grauius, quanto grauius eſt damnum, quod hinc redundat ad auditores, & tenetur ad reſarciendum damnum.

3. Si doceantur inutilia, aut vtilia quidem, ſed ita ſubtilia, vt auditores ea capere non poſſint, tempus & ſumptus perditur. Vnde Magiſtri tenentur ad reſtitutionem.

4. Si doceat malo aliquo fine,

5. Si in docendi munere negligens ſit, neque, ſi opus ſit, ac poſſit, ſe præparet ad lectiones.

6. Si ab alijs Magiſtris diſcipulos auocet, aut eos peruertat, vt ad ſcholam ſuam attrahat, cum periculo ſuæ famæ, & damno aliorum Magiſtrorum, peccat cum obligatione reſtituendi.

7. Si vacationis ergô ſeruet Feſta non ſeruari ſolita, aut diebus Feſtis prælegat, eo præſertim tempore, quo probabiliter putat auditores ob id Miſſam omiſſuros.

8. Si ſtipendium habens ex publico, particulariter aliquid ab auditoribus accipiat.

9. Si crudeliter nimis caſtiget diſcipulos; & ſi Clericum caſtiget, eſt excommunicatus.

10. Si ſcholaſticos pauperes contemnat cum damno famæ.

11. Si ſcholaſticis occaſionem præbeat ludis vtēdi prohibitis, aliaſue nequitias exercendi

12. Si aliquibus nimis se familiarem aut partialem præbeat, vt alij inde meritò offendantur, aut malo exemplo præeat alijs, quos periculum probabile sit eum imitaturos.

De peccatis Medici & Chirurgi.

1. PEccat Medicus, qui eius artis est imperitus, & tenetur ad resarciendum damnum. Neq; excusatur priuilegio suò Doctorali, cùm multi illud per fraudē, largitiones, aut fauorem consequantur.

2. Si calleat quidem medicinam, sed tamen non medeatur secundùm præcepta artis, verùm noua facere experimenta attentet, aut pharmaca applicet fortia prius, quàm morbi qualitatem cognoscat, præterquam quòd peccat, etiam ad interesse tenetur.

3. Si notabiliter negligens sit in studendo, aut, cùm possit, ægrotos non visitet, peccat, & tenetur ad resarciendum damnum.

4. Qui per experientiam didicit sanare morbos aliquos, puta scabiem, dentium dolorem, & similes, eos curare poterit etiam medicinæ regulas ignorans, modò ne maleficio, aut alijs superstitionibus vtatur. Si verò superueniat febris, peritus illi medicus est consulendus, nec quicquàm tentandum, quod ignorat.

5. Si probabiliter putet medicamentum nocere, & tamen laudet, peccat, & tenetur ad restitutionem: peccat præterea, si nimis ægroto in nociuis indulgeat.

6. Si, antequam debet, ægrotum derelinquat, & morbus prolongetur, vel ille moriatur, peccat ad restituendum.

7. Si dubitans de necessitate abscindendi membrum, illud abscindat; vel, necesse est, Chirurgum ad id non quærat idoneum.

8. Si vtatur medicamentis sumptis ex pharmacopolio corrupto, peccat, si per illum stet, quo minus sumantur ex alio incorrupto.

9. Peccat etiam si lucri causa, aut alio malo fine, morbum differat ac prolonget, & tenetur ad resarciendum damnum.

10. Si in morbo periculoso, antequam applicet medicinam, non procuret per se vel per alium, vt infirmus confiteatur. Si tamen confiteri noluerit, non ideo illi erit derelinquendus.

11. Grauiter peccat, si, ob corporis salutem, consilium ægroto det contra salutem animæ; veluti si proponat fornicationem, ebrietatem, abortus procurationem. Neq; excusabitur per hoc, si dicat: Non do consilium, sed si hoc faceres, sanareris.

12. Si mulieri grauidæ, nulla vrgente ne-

cessitate, propinet pharmacum, ex quo probabiliter abortus possit consequi; aut si medicinam adhibeat ad impediendam conceptionem peccat.

13. Si facilis nimis sit in danda licentia vescendi carnibus diebus prohibitis, aut non ieiunandi in Vigilijs sanctorum; item intermittendi lectionem Horarum Canonicarum, qui ad eas obligantur.

14. Similiter peccat, qui negligit admonere infirmum per se, vel per alium de condendo Testamento, vt præcidat occasionem litibus inter hæredes: item vt se à peccato aliquo liberet, si probabiliter suam admonitionem putet profuturam.

15. Si publicum habens stipendium cum pacto nihil accipiendi & tamen accipit; vel si non habet à publico, & accipiat nimium notabiliter, peccat cum obligatione ad restitutionem.

16. Si faciat, vt infirmus plura emat medicamenta, quàm opus est, fortè quia cum Pharmacopola participat de lucro, peccat, cum obligatione ad restitutionem.

17. Si mederi pauperi ægroto nolit, morituro sine alio adiuuante, quia scilicet non habet de quo soluat; aut diuiti, qui ex auaritia medicum recusat: sed hoc mortuo vel sanato, medico suum stipendium ab hæredibus debetur.

18. Si de alijs medicis malè loquatur, ne alij eorum opera vtantur peccat cum obligatione ad restitutionem famæ, & resarciendi damni.

19. Si alterius medici consilio, quod suo nouit esse salutarius, ex inuidia contradicat, peccat, & si sequatur damnum, tenetur ad resarciendum.

20. Si in morbo periculoso impediat, quò minus alius sibi medicus adiungatur, aut, cùm necesse non est, alium accersi curet, quò in simili casu mutua sibi ab illo opera tradatur, peccat, & tenetur ad restitutionem eius, quod datum est alteri medico.

21. Si plures suscipiat infirmos, quàm curare possit, peccat, & quidem eò grauius, si alij idonei medici non desint.

22 Si secretum aliquod detegat infirmi, vnde aspergatur infamia, veluti si ex causa alicuius peccati mortalis morbum contraxerit.

De peccatis Pharmacopolarum.

Pharmacopola peccare potest in sequentibus.

1. SI indignus aut non approbatus, tale officium exerceat.

2. Si in componendis medicamen-

tis ac pharmacis seruorum diligentem rationem non habeat, ne quid videlicet per eorum incuriam patiatur infirmus.

3. Si præter medici consilium fortia infirmis pharmaca propinet, peccat cum obligatione resarciendi damnum.

4. Si medicamenta componat, infirmisque propinet, præscripto medici non probè intellecto.

5. Si in essentialibus à medici præscripto consilioq; deflectat, quid pro quo substituendo. item, si quod medicus pondere, ille oculo metiatur, aut suo tempore medicamentum ægroto non propinet, vnde debitum non operetur effectum, peccat, & tenetur ad resarciendum damnum.

6. Si errasse medicum existimans in ordinanda medicina, sine vlteriore consultatione ipsemet eam componere pergat, suoque arbitrio infirmo propinet, peccat, & tenetur ad resarciendum damnum.

7. Si medicamentum periculosum ex præscripto chirurgi, fæminæ, aut aliorum artis medicæ imperitorum infirmis propinet.

8. Si in officina sua res habeat corruptas, ijsque vtatur in apparandis medicinis, peccat, & quidem eò grauius, si, vt facilius extrudat, eas laudet, & à bono effectu operationeque commendet.

9. Si mulieri grauidæ, aut quæ grauida esse putatur,

putatur, medicinam conferat à medico non ordinatam, aut si pharmaca componat ad impediendam conceptionem.

10. Si, dum pharmacopolia visitantur, ab alijs pharmacopolis medicamenta aliqua mutuo sumat, aut commodatò, quæ habere in promptu est obligatus, vt scilicet Protomedico persuadeat officinam suam quàm sufficientissimè instructam.

De peccatis Mercatorum.

Mercator in sequentibus delinquere potest.

1. SI merces vitiatas ac corruptas vendat pro bonis.

2. Si rem maioris vendat, vltra pretium eius rigorosum, id est, pluris quàm valet, ob dilationem scilicet solutionis.

3. Si minoris rem emat, propter solam anticipationem solutionis.

4. Si falso vtatur pondere aut mensura.

5. Si rem bonam exhibeat, & post factum contractum eam cum alia viliore commutet.

6. Si byssum, sericum, vel aliam mercem volens vendere, aut textoribus ad texendum tradere, in locis humidis ponat, vt scilicet plus ponderis habeat.

7. Si monopolium exerceat, quo mercem

suam vel carius diuendat, vel meliore pretio emat.

8. Si rem furto sublatam, aut de furti vitio suspectam comparet, peccat, & in eam accuratius tenetur inquirere.

In his ac similibus non solum mercatores ipsi delinquunt, sed & institores ac serui eorum concurrere consueuerunt, qui etiam peccant, & tenentur ad restititutionem, in quantum scilicet alios defraudarunt. Quanquam principaliter eorum domini ad restitutionem teneantur.

De peccatis sartorum, seu Vestiariorum.

Sartor peccat:

1. SI pannum sibi ab alio ad conficiendam vestem traditum permutet.

2. Si quem, fauoris aut proprij lucri causâ, deducat ad mercatorem, vilem mercem non vili pretio vendentem, plurisque æstimantem, quam valeat.

3. Si culpa aut ignorantia sua, aut ad particulam aliquam panni lucrifaciendam, vestem malè concinnet.

4. Si pro labore maiorem postulet mercedem, quam sibi conueniat, aut debeatur.

5. Si propter nocturnos labores diebus festis Missam negligat, vel alios negligere faciat.

6. Si

6. Si domino non restituat, quod de panno residuum erat.

7. Si cum iuramento quid ad certum diem se facturum recipiat, certò sciens se illud perficere non posse peccat cum obligatione ad sarciendum damnum.

De peccatis Calceariorum.

Peccat Calcearius:

1 SI calceos ex ouillo corio factos vendat pro calceis ex Hispanico siue Cordubensi (vt vocant) corio confectis. Item si soleas apponat ex corio equino, easque tanquam ex bubulo corio consutas sibi solui curet.

2. Si calceos ex adusto corio, tanquam ex bono corio consutos, sibi solui faciat.

3. Si de viliori corio, quam pactus sit, calceos consuat.

4. Si mercedem debito maiorem postulet.

5. Si cum iuramento promittat, quod certò sit se seruare non posse.

6. Si in Vigilijs post mediam noctem laboret non habita licentia, aut si ob nocturnos labores diebus festis Missam negligat, aut alios negligere faciat. In his, præterquam quod peccat calcearius, etiam obligatus est damnum, cui causam præbuit, resarcire.

De peccatis Tabernariorum, puta Macellariorum, Piscariorum, & similium.

Tabernas & officinas exercentes in officio ac arte sua modis sequentibus peccare possunt.

1. SI rem vitiatam ac corruptam vendant pro bona.

2. Si vendant pluris, quam ijs à Magistratu præscriptum.

3. Si in pondere aut mensura fraudē committant.

4. Si monetam falsam, qua decepti ipsi sunt, pro bona exponentes, alios etiam decipiant.

5. Si festis diebus vendant non impetrata licentia.

In omnibus hisce peccant, & ad fraudem reparandam obligati sunt.

De peccatis Patrum ac Matrumfamiliâs.

Peccant patres ac matresfamilias:

1. SI non procurent liberos suos institui ac erudiri in ijs rebus, quæ ad fundamenta nostræ fidei Christianæ spectant, neque d ligentiam adhibeant vt educentur in timore Dei, quo maior relinqui liberis thesaurus non potest. Tum etiam, si, cum possunt,

ſunt, in rebus temporalibus ijs non ſubue-niant.
2. Si filijs ſuis permittant vti ludis inde-centibus, neque à blaſphemijs alijſque vitijs eos cohibeant.
3. Si, cùm poſſunt, liberis ſuis non præ-ſcindant, aut opprimant occaſionem pec-candi, præcipuè verò, malis ſibi artibus lu-crum quærendi.
4. Si maledicant filijs, cum filijs maledice-re nihil aliud ſit, quam eoſdem execrari, vt-que peiores fiant, deſiderare.
5. Si crudeliter nimis eos caſtigent, nimia-que exacerbatione ad deſperationem, vel ad alia peccata adigant.
6. Etiam nimia indulgentia peccant, pec-catis ſcilicet illorum conniuendo.
7. Si ingreſſos Religionem, eam deſerere ſuadeant, ac ab inſtituto reuocare, annitan-tur; aut ſi, cùm ea ſit vera filiorum vocatio, quominus Religionem ingrediantur, im-pediant.
8. Si, cùm liberos ſuos educare ipſimet poſſint, moleſtiæ ac laboris ſubterfugiendi cauſa, eos in Eccleſijs, aut Hoſpitalibus ex-ponant, peccant, & tenentur ad reſarcien-dum damnum.
9. Si cogant ad matrimonium ineundum, aut filias ad monaſticam vitam ſuſcipien-dam, & faciendam profeſſionem compel-lant

lant contra earum voluntatem. Concilium Trident. seſſ. 25. cap. 18. non ſolum qui filias ad vitam monaſticam adigunt excommunicat, ſed omnes etiam, qui ad id conſilium, auxilium aut conſenſum præbent.

De peccatis Filiorum familiâs.

Filij familias peccant in ſequentibus:

1. SI parentes debito amore ac reuerentia non proſequantur, aut morem ijs non gerant, ſicuti obligantur.

2. Si in neceſſitatibus parentibus pro modo facultatum non ſubueniant; veluti ſi infirmentur, aut ſi incarceratos non viſitent aut iuuent. Et quidem in extrema neceſſitate multi Doctores in ea ſunt ſententia, quòd parentibus magis, quam proprijs liberis ſuccurrere obligemur.

3. Si in ſpiritualibus etiam neceſſitatibus ijs non ſubueniant; puta, ſi, cùm infirmantur, non procurent vt confiteantur, aut Teſtamentum faciant: vel ſi Teſtamentum eorum non exequantur, maximè in legatis pijs, pro animabus eorum inſtitutis.

4. Si contra voluntatem Patris vxorem ducant indignam. aut ſi ducere nolint eam, quam ducere Pater iubet, modo digna ſit; maxime tum, ſi ad familiam eorum hinc

vtili-

vtilitas aliqua resultet, veluti pax cum inimicis, &c.

5. Peccant quos parentum suorum pudet, adeò vt eos parentes suos esse negare ausint.

6. Si Patrem aut Matrem in causa criminali accusent: excepto crimine læsæ Maiestatis, & hæresi, quæ alijs perniciosa sit futura.

7. Si parentum bona dilapident, ac alea, alijsue modis dissipent ac consumant, peccant, & fratribus suis de resarciendo damno pro illorum quota obligantur.

De peccatis Dominorum in vtroque sexu.

1. PEccat Dominus, vel Domina, si seruis familias victum sufficientem non subministrent.

2. Si commoditatem ijs non permittant audiendi Missam diebus festis.

3. Si, cùm possint, peccandi ijs occasionem præcidere negligant, veluti, si plures in vno lecto dormire iubeant, causamue præbeant, vt serui cum ancillis frequenter conuersentur, & similia.

4. Si vni seruorum adeo se faciles præbeant ac familiares, vt per hoc reliqui offendantur, & contemni videantur.

5. Si sine iusta causa famulorum aut ancillarum defectus alijs palam faciant.

6. Si domi suæ ferant seruum blasphe-

mum, ebrietati, alijsue vitijs obnoxium. Hoc enim certò sibi persuasum habeant, nunquam rectè sibi seruitum iri, nisi seruos habeant probos ac deuotos.

De peccatis seruorum familias, ac ancillarum.

Serui familias ac ancillæ in sequentibus regulariter delinquunt.

1. SI quid de bonis domini, quantumuis exiguum, alijs elargiantur, præter ordinem ac licentiam eius, qui potestatem habet, cùm obligatione tantundem de suo restituendi.

2. Si quid etiam pro se sumant de rebus domini, domino vel domina ignorāte, cum obligatione resarciendi damni.

3. Si quid illorum culpa pereat de rebus domesticis quarum conseruandarum illis cura commissa est, peccant, cùm obligatione damni resarciendi.

4. Si talis eorum victus sit ratio, vt singuli certas habeant sibi constitutas portiones, tum de residuo pro libitu disponere possunt. Quod si tamen, vt multum panis vendant, non comedant quantum satis est, & ob id officio suo in negotijs domini satisfacere non possint, peccant.

5. Quod

5. Quod si ita victitent vt dominus omnia ijs necessaria subministret, nihil de residuo pro sua voluntate disponere possunt, citra peccatum & obligationem restituendi.

6. Si in emenda re aliqua viliori pretio, quam dominus emi posse putabat, non restituant residuum.

7. Si ancillæ, quibus diebus dominæ laborare tenentur, pro se laborent, non habita licentia, peccant; maxime vero peccant, & ad restitutionem tenentur si (quod fœminæ aliquæ prudentes facere consueuerunt) ijs à domina certa quædam dies in septimana, aut tempus, quo proprijs vacare laboribus possint, concessum sit & assignatum.

8. Peccant etiam omnes, siue serui, siue ancillæ, qui, vel quæ, non, quoad eius fieri potest citra peccatum, dominorum se ingenio ac voluntati accommodant, sed suo potius omnia modo agere malunt, non sine maxima interdum dominorum perturbatione ac molestia. Vnde Sanctus Paulus seruos dominis ac superioribus velut Christo Domino obedire iubet.

De peccatis Coniugatorum.

SAcrum Concilium Tridentinum, sessione 24. cap. I. de Reformatione, vult Matrimonium, quod contractum non

est in præsentia Parochi, aut alterius Sacerdotis cum illius consensu, & duorum vel trium testium, non esse validum. Deinde statuit fieri denuntiationes in Ecclesia, vt si quod lateat, impedimentum manifestetur. Tertiò monet, ne sponsus ac sponsa ante acceptam ab Ecclesia benedictionem in eadem domo simul cohabitent.

Peccant igitur sponsus ac sponsa:

1. SI consumment Matrimonium non contractum ex præscripto Concilij Tridentini. Quod si, dum contraheretur, non interuenerit Parochus cum testibus, nullum est.

2. Si contraxerint Matrimonium sine præuijs denuntiationibus in Ecclesia. Matrimonium tamen, nisi aliud obstet impedimentum, validum est.

3. Si, antequam à Parocho coniungantur, sensualiter simul conuersentur, cùm periculo pollutionis.

4. Si, priusquam consumment Matrimonium, non curent benedictionem accipere ab Ecclesia, sed eam negligant per contemptum grauiter peccant: alioquin non erit mortale.

5. Qui votum simplex castitatis fecit, peccat si Matrimonium aut sponsalia contrahat. Et quanquam validum sit Matrimonium nihil-

nihilominus tamen, antequam illud consummetur, debitum neque exigere, neque reddere potest. Post consummatum Matrimonium, debitum reddere poterit, sed non petere: & vxore mortua, aliam citra peccatum ducere non potest.

6. Peccat, qui Matrimonium contrahit cum persona, quam scit fecisse simplex votum castitatis.

7. Si temporibus prohibitis solemniter nuptias celebrent, puta à tempore Aduentus vsque ad festum Epiphaniæ, & à prima die Quadragesimæ vsque ad Octauam Paschatis, secundum Concilium Tridentinum session. 24. cap. 10.

8. Si Matrimonium contrahant aut sponsalia ante legitimum tempus, quod ad contrahendum Matrimonium in viro requirit 14. in fœmina duodecim annos finitos; ad sponsalia vero in vtroque requirit annos septem, excepto, si malitia suppleat ætatem.

9. Peccat, qui sine legitima causa coniugi debitum negat matrimoniale. Causæ verò legitimæ negandi debiti matrimonialis hæ sunt: si petatur in loco sacro, aut publico, cũ periculo vitæ, grauis morbi, aut abortus. Si vero prætendatur Festum, septimana sancta, item quod die sequenti confiteri debeat aut communicare, vel similia, non censentur

iustæ

iustæ causæ negandi debiti matrimonialis.

10. Si alter coniugum adulterium committat, tum qui innocens est, nocenti sine peccato matrimoniale debitum negare potest. Quod si verò ipse etiam adulterium commiserit, peccabit alteri debitum matrimoniale negando.

11. Si in ipso actu Matrimonij imaginentur se rem habere cum alijs personis.

12. Si tali situ actum matrimonialem exerceant, vt ex eo impediatur conceptio; aut si maioris voluptatis causa illicitis modis rem simul habeant.

13. Mulier sine peccato cohabitare potest viro publicè adultero, debitum etiam petere potest, & reddere, si velit, etsi ad neutrum horum sit obligata. Peccat tamen si placeat illi mariti adulterium, aut committendi illi adulterium licentiam concedat. Idem de viro dicendum est contra mulierem adulteram, si aliter illam nequeat emendare.

14. Si mulier facto continentiæ voto debitum petat, peccat, & si maritus isti voto consenserit, peccat debitum reddendo, sed non peccat debitum petendo: & si vterq; de communi consensu votum fecerit, peccabit etiam vterq; illud vel petendo vel reddendo. Quod si vero propositum duntaxat habuerint

int continentiæ, non peccant.

5. Debitum petere & reddere tempore menstruorum, non est mortale peccatum, etsi putetur credibiliter menstrum concemtum iri.

6. Si matrimonialem actum exerceant in loco sacro, aut benedicto.

7. Similiter, si conceptionem impediant quouis modo. Quamuis de communi consensu coniuges ab actu matrimoniali abstinere possint, ne faciant plures filios, quam possint educare, modo nullum periculum fornicationis, aut alterius peccati mortalis concurrat.

8. Maritus, qui, vt ne debitum redderet, proprij filij Patrinus factus est in Baptismo vel Confirmatione, peccat illud non reddēdo; petere verò debitum non potest: in quo tamen dispensare potest Episcopus. Si vterque coniugum proprij filij Patrinus extiterit, reddere sibi inuicem debitum possunt, sed non petere. Quod si tamen id per errorem, necessitatem, aut ignorantiam factum sit, tum etiam illud petere possunt.

19. Si maritus vxoris suæ cognatam carnaliter cognoscat, peccat petendo debitum, reddere verò potest & debet. Idem dicendum de muliere, si cum cognatis mariti peccauerit.

20. Si mulier, antequam de mariti morte

certa sit, alij nubat, peccat: & si credibiliter dubitet, debitum citra peccatum nec petere potest, nec reddere. Idem est de marito, respectu mulieris.

21. Peccat maritus, si sine iusta causa vxorẽ impediat, quo minus Ecclesiæ præcepta, aut alias deuotiones moderatas adimpleat.

22. Peccat item maritus, si sine causa mulierem deserat, aut cum illa non cohabitet, Idem de muliere dicendum, si sine causa virum deserat, aut ab eo separetur.

23. Si mulier non obtempetet marito quoad mores, & domesticam administrationem, cum maritus vxore superior, & familiæ caput existat.

24. Peccat præterea mulier, si citra viri licentiam, extraordinarias & immodicas de re domestica elargiatur eleemosynas: excepto, si eæ conferantur extrema angustia laboranti, aut si, necessitate maxima vrgente, ad maritum illa recurrere non possit. Ordinariæ & modicæ eleemosynæ citra peccatum fieri possunt.

De peccatis Capitaneorum ac Militum.

Capitaneus ac milites peccant.

1. SI bellum sequantur iniustum, cum obligatione restituendi in solidum omne damnum illatum.

2. Si

2. Si in hoſpitijs, vbi diuerterint, aut in terris, per quas tranſeunt, vim ac violentiam exercuerint, peccant, & tenentur ad præſtanda omnia damna, quæ intulerint.

3. Peccant, & quidem grauius Capitanei ac Officiales, dum militum extorſionibus conniuent, quas exercere ſolent, fingendo ſe in pagum aliquem diuerſuros, vt hac ratione pecuniam ab incolis extorqueant. Et tenentur ad obligationem reſtitutionis.

4. Si Capitanei, cum poſſunt, militarem diſciplinam negligant, diſſolutos, blaſphemos, fures, immorigeros, & ſimiles non puniendo.

5. Si plus ſibi ſolui faciant, quàm exigat numerus militum ab ipſis conſcriptorum.

6. Si quem prouocent ad duellum, etiam chartulis & patrinis (ita Magiſtros & Aduocatos vocitant) non interuenientibus. Nec obſtat, ſi non veniatur ad manus, obſtante aliquo impedimento, modo per ipſos non ſtet, quo minus inceptum duellum, perficiatur. Peccant vero non ſolum, qui ad duellum prouocantur illudque acceptant; ſed etiam quicunque ad eam rem conſilium, auxilium aut fauorem præbent ſiue aſſenſum, & tanquam ſpectatores aſſiſtunt: quin & Excommunicati ſunt, Abſolutione Papæ reſeruata, excepto mortis articulo.

De peccatis Clericorum & Sacerdotum.

Clerici peccant in sequentibus:

1. SI per Simoniam commissam, Clericus Ordinem aliquem acceperit, etiam Minorem, non tantum peccat, sed & excommunicationem insuper incurrit. Peccat etiam, si se ordinari faciat ab Episcopo, qui denuntiatus sit excommunicatus & si Ordinem illum exerceat ante impetratam dispensationem à Papa, peccat.

2. Si illegitimus ordinatur sine dispensatione. Ad Minores Ordines Episcopus dispensare potest; ad sacros solus Papa.

3. Si ordinetur extra tempora statuta, vel sine dimissorijs, non solum peccat, sed & ipso iure suspensus est, & si vtatur Ordine sacro, fit irregularis. Aetas legitima in ordinibus requisita hæc est: subdiaconatus ante vigesimum secundum: Diaconatus, ante vigesimum tertium: Presbyteratus, ante vigesimũ quintum annum non conferendus.

4. Si ordinetur per saltũ, id est, si vna die duos ordines sacros suscipiat, aut Minores & vnum sacrũ, peccat, & fit suspẽsus à posteriori.

5. Si quis sciens excommunicatum esse, aut peccati mortalis sibi conscius ordinetur, Missam celebret; aut aliud sacramentum solemniter administret, peccat.

6. Qui aduertens celebrat sumpto cibo vel potu

…tu, etiã per modũ medicinæ peccat: secus …duertit inchoata Missa, & sine scandalo …a potest relinquere: tum enim nõ peccat.

Peccat, qui sacrificat extra locum sa…um, excepto in Processionibus, vel prima …issa, quando templum non est capax Item …celebrat in Ecclesia interdicta vel polluta, …ut qui vtitur altari portatili nimis exiguo, …el rupto, vel citra necessitatẽ & causam: qui …lebrat ante recitatas Horas Matutinas, si… vestibus sacris, Corporali palla, vel lumi… &c.

…is Presbyter existens, non aliquo… …in anno celebret. Quanquam …identinum sess. 23. cap. 14 E… …iat procurare, vt Presbyteri …ninimum diebus & Festis so… …rent.

…obligatus sit, sine iusta causa …cas, notabilemue earum par… …gligit; aut recitat quidem, …bita deuotione; aut non pro… …a verba, aut adhibito socio …te, peccat, si careat proposi… …im eas recitandi.

Non quæuis infirmitas excusat ab Offi… …ecitando, sed ea duntaxat in qua secun… …i iudicium probi medici infirmanti Of… …ecitatio notabiliter sit nocitura.

Qui in recitatione Officij aduertit se

vagari cogitando, & non nititur animum reuocare, saltem ad attendendum, peccat.

12. Clericus pensionarius obligatus est ad Officium B. Virginis.

13. Peccat Clericus, si non gestet habitum & tonsuram, aut si arma portet offensiua.

14. Si beneficium aliquod per simoniam realem quærat, vel obtineat, peccat, excommunicatus est, & obligatus ad resignandum.

15. Si sciens se habere Officium per simoniacam aliorum procurationem consentiat, aut illud non continuò renunciet, peccat.

16. Si habens Beneficium Horas Canor[illegible] recitare intermittat, non peccat sol[illegible] etiam ad restitutionem tenetur pr[illegible] est, si vna die totum officium omi[illegible] restituere totum prouentum ist[illegible] mediam partem Officij omiserit [illegible]diam partem prouentus tenetu[illegible] quæ restitutio applicari poterit [illegible]ribus, vel ad Ecclesiæ reparatione[illegible]

17. Si per malitiam vel neglige[illegible] sui Beneficij diminuat, vel damnif[illegible]cat cum obligatione restituendi.

18. Peccat Clericus, si Comœdijs part[illegible] [illegible]nestis intersit, si tabernas frequentet, c[illegible] aut alea ludat, vel ludentibus spectator adsistat, si veste rubra, viridi, versicolore indutus incedat, si choreas ducat, si officia vilia

&

Luca
Pinelli.